


George Weare Braikenridge

BROOMWELL HOUSE.

No. ____________

12565/c

10 D (23) 20499

5 810
108

FUNGORUM

AGRI ARIMINENSIS

HISTORIA.

FUNGORUM AGRI
ARIMINENSIS HISTORIA

A J. ANTONIO BATTARRA

Lynceo Reſtituto & in eadem Urbe Publico Philoſophiae Profeſſore compilata

AENEISQUE TABULIS QUADRAGINTA LOCUPLETATA

QUAM SUB AUSPICIIS PLURIMUM REVERENDI

DD. FRANCISCI--RAYNALDI GARGANI

Lateranenſium Canonicorum Abatis Ex-generalis ac Diomedaearum Inſularum Praeſulis Ampliſſimi

IN HAC SECUNDA EDITIONE

Nec aucta nec diminuta

PUBLICI JURIS FECIT.



FAVENTIAE TYPIS MARTINIANIS SUP. PERMISS.

ANNO AERAE VULG. cIↄ Iↄ CCLIX.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PLURIMUM REVERENDO VIRO

FRANCISCO-RAYNALDO GARGANO

DIOMEDAEARUM INSULARUM

PRAESULI AMPLISSIMO &c. &c.

J. ANTONIUS BATTARRA S. P. D.

DUM Tibi, plurimum Reverende Praeſul, Munuſculum hoc nuper recuſum offero, ne adulatoriam, philoſopho indignam, Epiſtolam, ut plurimum fieri ſolet, expectes, in qua a laudibus Generis tui, vel a Doctrinae, vel Dignitatum ſublimitate fanaticus exordiar, quae omnia ſuperbos inflare ſolent, atque honeſtos Viros ſumma triſtitia, ac verecundia afficere. Encomia mea apud eos qui jam Te norunt prorſus inutilia judico,

apud eos vero quibus non innoteſcis, ſaepe ſolent vitio accipi. Quare dum ea ſilentio comprimam judicabunt Saniores, non inter Fungos Maecenates ſeligi ſolere, ſed illos tantum deſignari qui generis nobilitate, vel dignitatis & Doctrinae praeſtantia ita ſupra vulgum eminent, ut „ lenta ſolent inter viburna Cupreſſi „ Quare ſtatim candide fatebor non alia cauſſa Opuſculum hoc meum velle ſub Auſpiciis tuis modo publici juris fieri, niſi ut noſcas animum erga te meum ob honorem familiaritatis tuae, quo me cumulaſti, velle aliqua ratione Tibi eſſe gratum. Tria fere luſtra ſunt in quibus huic Eccleſiae Venerabundi Ordinis tui addictus inſervio, varioſque Supremos Praeſules qui te in munere praeceſſere a Cl. Clappinio incipiendo novi, a quibus humaniſſime ſemper exceptus fui; Verum Tu neſcio an nimium teſtimonio de me honeſtiſſimi doctiſſimique Viri Fabii Baleonii hujuſce Monaſterii Flaminis meique amantiſſimi tribuens, non modo quotieſcumque te conveniebam obſequii cauſſa me ſumma humanitate excipiebas, ſed conveniebas interdum ut Scriniola mea Rerum Naturalium inviſeres, & de Naturae productionibus una confabularemur. Quare delectabar ſummopere quod me libenter in iis audires, & poſtea multo magis delectabar & multo libentius & tunc & alias te audiebam de gravioribus rebus loquentem, unde dum ea mecum reputabam, minime mirabar ſi apud Benedictum XIV. emunctae naris Pontificem, probatiſſimus extiteris. Itaque ſi Studia mea Te aliquando delectarunt, & ſi me aliquem apud te conſtituerunt, ut multa humanitatis erga me tuae teſtimonia impenderes, ſimilia a me Munuſcula jure tuo

exige-

exigere videris.

Libenti itaque animo illud accipe, in eoque nonnulla perpendas velim, & quidem primo exiguam ipſius molem, in qua ſi Praefationem praeſertim perlegeris, Tu qui res profunde ſcrutaris, reperies hanc ad ingens volumen protrahi potuiſſe, dummodo indigeſtam undequaque eruditionem ex rei herbariae Auctoribus, atque etiam Poetis collegiſſem, & paginas eorum dictis repleſſem, aut ſi textus illorum quos ibi ſuppreſſo nomine carpo retuliſſem. Verum quid mihi hoc feciſſe prodeſſet? apud inſcios & ſemidoctos eruditi Botanici famam mihi comparaſſem, ſed apud doctos & rei herbariae Profeſſores Liber hic inter Offas botanicas ſpretus amandaretur. Sic quoque modo augeri mole potuiſſet, ſi elogia Actorum Lipſienſium & omnium fere Europae Ephemeridum praeponi curaſſem, aut clariſſimor. Virorum honorificentiſſima teſtimonia, qualia ſunt Joſephi Montii, Ferdinandi Baſſi, Jo. Franciſci Seguierii, Alberti Haleri, Petri Chriſtiani Wagneri, aliorumque Europae Virorum, qui non modo in Botanica ſed in univerſa literatura ſunt celeberrimi, non quod multi id genus teſtimonia non faciam, ſed ne Lectores ad tempus fruſtra terendum compellam. Quare illud ſemper mihi fuit curae, ut non quod ſcirem de hoc argumento, neque quod alii excogitarunt, ſed quod ipſe novi atque excogitavi illud typis committerem.

Deinde ſi juvat Praeſ. ampliſs. ad Fungorum meditationem accede, ubi opus ſane divinum cognoſces. Fungi enim, nec Plantarum morbi ſunt, nec quid ex putri & temere ortum, ut arbitrabantur qui Peripateticam do-

ctrinam

ctrinam nondum deſeruere, aut qui in experimentis capiundis infelici exitu laborarunt, ſed ſunt corpora organica, & ſpecies Plantarum ex proprio elaborato ſemine, aptis in locis, pullulantes, quarum ſtructuram, ſpecierum conſtantiam, & multiplicitatem ſi perpendas una cum eorum elegantia, reliquiſque proprietatibus, profecto intelligere incipies quam inſulſi ſint, ne dicam impii qui id genus corpora & ſtudia omnino inutilia damnant. Et ſane quemadmodum impium eſt aſſerere Deum inutilia creaſſe, ſic ſumma dementia eſt adjudicanda id genus ſtudia ex quibus aliquid humanae Societati proficuum ſemper deducitur, ſpernere. Hominum Superbia, & Deſidia fecit profecto humanae Scientiae dedecus; nam in rebus Aſtronomicis, dummodo ſenſibus ſint obnoxiae (ut advertit Keilleus in Praefatione Introductionis ad veram Phyſicam) multo plura ſunt quae hactenus ſunt detecta, quam quae detegenda ſuperſunt, contra vero in iis quae ſunt in terris & circa nos poſitae multo majora eſſe cognoſcimus quae nos latent, quam quae jam detecta pateſcunt.

Praeterea illud etiam Praeſul ampliſſime animadvertas velim, quod cum inter alios Fungorum uſus illum vetuſtiſſimum habeamus, ut Principum uſque dapes Fungi componant, qui cum vel *qualitate* vel *quantitate* noceant, novum Chimicae objectum exurgit, ut per analyſim eorum natura ſcrutetur, qua cognitione neglecta, fruſtra Medicus aegris rationali ac bene excogitata Medicina occurrit; cujus etiam analyſis praeſidio, propriiſque periculis Botanicus edoctus illud utile praeſtat, ut noxios Fungos ab eſculentis ſegregatos indigitet, ut in

Opu-

Opuſculo hoc factum reperies. Quanta heu ſunt quae inconſulto tam a veteribus Medicis, quam etiam a Recentioribus de Fungorum natura & indole prolata fuere, quorum falſis ac mere hypotheticis theoriis remedia praeſcribuntur, quae ut ſaepe novimus, plus ad aegros necandos, quam ipſum Fungorum virus contulere. Cum itaque tantus ſit metus in eſu Fungorum, & cum Medicorum ſaepe inſcitia aegros aggravet perdatque, vel calefacientibus remediis, vel irritantibus & diris Emeticis, vel adſtringentibus omphacii ſuccis, quibus omnibus lethalia ſymptomata augentur, ſtudium hoc noſtrum quod, ut vides, partem humanae incolumitatis reſpicit, non niſi iis inutile videri poterit, qui inter nos ideo vivunt, quia Tellus ſpatia multa habet inhoſpita.

Ut autem Vir Ampliſſime aliquam ex munuſculo meo utilitatem capias attentius animo reputa effatum illud quod ſupra Lyncem & Noctuam in fronte Libri impreſſum ventilat, quorum animalium prudentia in contemplandis, non vero in comedendis Fungis tota fingitur; ideoque prudentiſſime tibi conſules ſi ab eſu Fungorum generatim abſtinueris; Fungi enim omnes ſive ſolitarii ſint, ut ajunt, ſive ceſpitoſi, ſive non pileati, ſive pileati pileolo albo, aut etiam rubro, hi omnes amici inutiles, & hoſtes infenſiſſimi haberi debent. Ab eorum igitur eſu Te abſtine, non modo propter periculum in veneficos offendendi, ſed praecipue quia habitu corporis pletoricus es. Fungi enim utpote ſua natura calidiſſimi in pletoricos, eoſque ſcilicet qui vaſa turgentia & ſanguinem concitatiorem habent, etiam non noxii ſaevire ſolent. Sic quoque ab epulis illis te abſtine quarum condi-

menta

menta ſunt Fungi cum aromatibus, caſeo, & reliquis id genus ſanguinis efferveſcentiam promoventibus. Quod ſi a te haec noſtra obtinuerint, non levem utilitatem ex munuſculo hoc recipies, neque ex hoc cibo periculis pleno vitam tuam mihi & tuis plurimi faciendam in ſummum diſcrimen umquam compelles, mihique vehementer gratulabor tamquam ſi a te beneficium maximum accepiſſem. Denique ſi ab incauto eſu Fungorum (quod Deus avertat) vel Amicus vel tu male urgearis, conſule ſtatim celeberrimi Planci noſtri Epiſtolam, quae Cap. V. hujuſce Libri proſtat, in qua ſub finem methodus legitur ſana & ſimpliciſſima id genus morbum curandi, cujus ratio a Fungorum indole deſumpta eſt, atque experimentis propriis firmata.

Verum ut ad ſeria tua Praeſul ampliſſime te reſtituam, alio me convertam, vehementer expoſcens, ut excuſatum me habeas, ſi patientiam tuam uſqueadeo fatigaverim. Parce itaque & unum quaeſo ne deneges, quod erit humanitatis tuae, ut me in Albo tuorum ſerves perpetuo. Vale.

Dabam Arimini id. Oct. anno aerae vulg. CIↃIↃCCLIX.

LECTO-

LECTORI AMICO AUCTOR S. P. D.

CUM ſub finem anni 1741. a Sabinianenſibus vocatus fuerim, ut ibi Philoſophicas Inſtitutiones publice legerem: (eſt autem Sabinianum Dioeceſis Ariminenſis Oppidum non ignobile) accidit ſane, ut dum extra Oppidum, ſuccifivis horis, cum Amicis deambularem, ut Plantarum meditationi vacarem, eamque Facultatem, quam a Cl. meo Praeceptore J. Planco in partem didiceram, excolerem (non ſine Oppidi, ejuſque Pharmacopoeorum utilitate, ut optime noram): accidit, inquam, ut in multos ac diverſos ſpecie Fungos offenderem. Hos domum advehere cepi, eoſque in chartis pingere. Aſt anno ſequenti, tam Sabiniani, quam in Villa mea, quam Pedrolara appellant, tanta erat apud me hujuſmodi pictorum Fungorum collectio, ut pluſquam ducentos ſpecie diverſos numerarem. Interea obſervationibus ac meditationibus vacabam, ut ea, quae mihi de Fungis erant ignota, innoteſcerent; quare & Libros mihi de hac re comparavi, & per Epiſtolas viros in Botanica celebriores conſului. Verum cum nihil certi, neque ex Libris Botanicorum, neque ex literis eorum quos, conſulebam, quoad generationem praeſertim eorundem Fungorum, conſequi poſſem, ad illud animum converti, ut aliorum obſervationes & ſyſtemata ad trutinam revocarem. Quare cum multa apud Auctores vel magni nominis de hac re, cum obſervationibus meis minime convenirent, & ultra quadringentas Fungorum Icones calamo pictas poſſiderem: illud excogitare coepi, ut Agri hujuſce Noſtri Fungorum Hiſtoriam texerem, eamque publici juris aliquando facerem.

Verum duae potiſſimum res diù contra me faciebant: Philautiae metus, & curta potius ſupellex, quarum haec de immoderato viribus meis ſumptu, ad Tabulas aere excudendas erat, qua vehementer exanimabar: illa vero vexabat me, ne quid molirer, quod Secli foret incommodum. Attamen quoad primum Natura mihi velificavit, ut nullo duce ac praeceptore aere excudendi ſtylo ferreo rationem ediſcerem. Quoad alteram vero, Planci mei amantiſſimi, qui Opuſculum noſtrum non improbavit, cui etiam pro ſua in me ſingulari humanitate, ac beneficentia, manus adjutrices, & Librorum ſubſidio praeſtitit, atque ampliſſima ejus eruditione; quin etiam & Joſephi Montii eximii Bononiae Botanices Profeſſoris, ut ceteros omittam, qui mihi perſuaſerunt, ut hilari animo Hiſtoriolam hanc Typis committerem, conſilio quievi.

Hiſce praenotatis expedit modo, Lector amice, ut de methodo docearis, qua uſus ſum ad Fungorum claſſes diſponendas. Itaque neque Tournefortianam ſecutus, eo quod hujuſce aevi Botanici eam deſerere paullatim videntur, neque nuperrimam Gleditſchianam, eo quod ad manus mihi nondum pervenerit, ſed Primae Claſſi a Coralloidibus exordium

feci, eo quod cum Plantis majorem adfinitatem & ſimilitudinem habeant, cum nullum aliud ſit Fungorum genus, quod Radices, Truncum, & Ramos habeat, ut Coralloides habere cernimus. II. Clavaria ſequitur. III. Boleti ſubſequuntur. IV. Fungi membranacei, illi nempe qui aut pedunculo ſunt deſtituti, aut dubium gerunt. V. Fungi pileati ſulcati ex Volva erumpentes. VI. Fungi ſingulares annulo inſtructi non longe a ſulcorum exordio, circa pedunculum poſito. VII Fungi ſolitarii qui pro annulo velum ſulcos obtegens a Natura ſortiuntur VIII. Polymyces ſeu Fungi caeſpitoſi annulo donati. IX. Fungi umbilicati ſingulares. X. Fungi umbilicati caeſpitoſi. XI. Fungi ſolitarii ſimplices, ideſt neque umbilicati, neque annulo inſtructi. XII. Polymyces ſeu Fungi caeſpitoſi ſimplices. XIII. Fungi tenuviores multo umore aqueo ſcatentes. XIV. Fungi Bullae a nobis nuncupati, eo quod pedunculo valde exili ſint inſtructi, & tota Fungi forma Bullam aemuletur. XV. Fungi quos ex Tuberaſtro ſuſcepi. XVI. Fungi favaginoſi, qui Suilli, aut Porcini ab aliis appellantur. XVII. Lupi crepitus XVIII. Agarici. Atque ſic Fungorum noſtrorum deſcriptiones & hiſtoria clauditur.

Attamen cum in Libris vel celebratiſſimorum rerum naturalium Scriptorum Appendices ad calcem Operis adpoſitas ſaepe obſervaverim, quae cum Operis ratione convenire omnino non ſolent, quod ipſi facere conſuevere, & ipſe feci. Nam quamvis extra Agrum Ariminenſem vagari in Fungorum perquiſitione mihi non propoſuerim, poſtremo loco in Appendicis modum nonnullas Fungorum ſpecies, reſpectu hujuſce Agri exoticas adpoſui, quas ab Amicis accepi.

Scias denique, praeſt Lector, quod ſingulis Fungorum deſcriptionibus numerus Tabulae, in qua Fungi icon exhibetur, proſtat, & litera majuſcula adponitur, quae cum ſimili litera aere inciſa iconi reſpondeat. Illud tamen adverti, quod confuſionem impatientibus Lectoribus fortaſſe pariet: quod cum Fungorum imagines in Tabulis abſque determinato ordine exculpſimus, quia poſtquam per Tabulas Fungorum icones ordine ſuo diſtribuimus, alii Fungi a nobis antea non obſervati ſe ſe obtulerunt; quare opus fuit quemcumque in Tabulis ordinem inſtituimus ſubvertere: huic etiam incommodo Indice conſuluimus, per quem, ſi Lector in Tabulis iconem Fungorum quandam viderit, & de ea ſtatim deſcriptionem deſideret, hunc Indicem adeundo, Tabula inventa, inveniet & literam Fungo reſpondentem, cui etiam paginae numerus, in qua deſcriptio illius proſtat, adnectitur.

Cum autem in deſcriptionibus vocem eſculentus *inveneris, tuto, ſi vis, Fungum comede, dummodo ſit modus in re. Dioſc. enim docet quod* Fungi in cibos idonei, ſuaveſque, majore copia ſumpti, nocent & ipſi; *deinde excoquendi eos ea ratione utaris, quam docebimus; periculum enim in omnibus illis prius ſtomacho fecimus. Vale.*

DE

DE FUNGIS PRAEFATIO.

OPeroſa ſane res de ea Botanicae parte accurate agere, quae DE FUNGIS inſcribitur; quare ſaepiſſime accidit, cur Fungi a Botanicorum familia aut negligantur, aut non multum accurate de iis agatur. Cum enim Fungi & innumeri ſint, & more ceterarum plantarum in diverſis Orbis Regionibus peculiares Fungorum ſpecies reperiantur, & cum prae ceteris ſervari difficili negotio poſſint, ut obſervationes, & comparationes inſtituantur: hinc fit, ut hominum diligentia & vita ludificata, aut parum de iis, aut male digeſta Typis committantur. Scio equidem me perſaepe Libros eorum, qui de Fungis egerant, ad manus habuiſſe, in quibus fere omnibus opus aut mancum, aut fere inutile cognovi. In aliquibus Fungorum tantum nomina proſtant, deſcriptiones tamen deſiderantur, aut deſiderantur Tabulae. Et quis non videt hujuſmodi opus Botanophilo omnino inutile eſſe? Alios hujuſce rei Scriptores inveni, clariſſimos inter Botanicos, quorum Tabulae, utpote ineleganti ſtylo exaratae, incompta ſchemata referunt, quod, ut nemo non videt, incommodum & dubium ſtudioſis parit. In alios pariter offendi, quorum Tabulae nimia fucata elegantia inſculptae, Fungorum plerumque inelegantiam ludunt, atque ancipitem Studioſum conſtituunt. Praeterea & majora in hujuſmodi libris invenio: Fungorum nominum ingentem numerum, tam male excogitatum, ut vocabulorum prolixitate Nomenclationis modum excedat, & definitioni minus ſufficiat. Poſtremo illud minus probatum mihi ſemper erit, velle de Fungis Tractatus generales inſtituere, cum Solum fungiferum non uno aut Italico, aut Germanico, aut Anglico &c. Coelo claudatur; cumque unaquaeque & Regio & Provincia peculiares Fungos praeſeferre poſſit. Idque in cauſſa fuit, cur Opellae huic noſtrae, *Fungorum Agri Ariminenſis hiſtoria*, titulum fecerimus. Quos uſque adeo, *poſitis pro nomine ſignis*, carpſerim, vel mediocriter in libris Botanicorum verſati, cognoſcunt. Diligenter itaque curabimus, ut Lectores noſtri illud minime offendant, quod aliis vitio vertimus.

Hic operae pretium eſt, ut aliquid de Fungorum generatione dicamus, & ſane humaniſſimus Lector ex obſervationibus atque meditationibus noſtris jure quodam ſuo a nobis exigit. Arduum profecto eſt Fungorum generationem, utrum a Putredine, aut a proprio elaborato ſemine repeti debeat, definire. Saepe Botani-

corum placita legi atque perlegi, multa & ipſe obſervavi, quaedam etiam experimenta inſtitui; quare & Syſtemata eorum qui Fungos ex putredine repetunt, incertis niti fundamentis cognovi, atque ex putredine omnino gigni non poſſe Fungos contendam. Ergo ex ſemine? pari animi conſtantia, imprudens ſi auſim eos repetere.

Admiratione digna res eſt V. Cl. Marcellum Malpighium, Valliſnerium, Marſilium, alioſque ſexcentos, ſolertia, innumeriſque experimentis in Fungorum ſemine detegendo, oleum perdidiſſe & operam; quod in cauſſa fuit, cur multa Syſtemata ac noſtra aetate prodierint, in quibus putredo pro Fungorum origine decernitur. Verum quamvis a ſolertiſſimis illis viris ſemen detectum non ſit, Syſtemata tamen illa,quae Putredinem in Scenam advocant, quamvis ingenioſe, quomodo Fungi ex putredine poſſent oriri, explicent, ita tamen gigni non demonſtrant, eo quod ſomnia potius, quam conſtantes obſervationes in teſtem advocant; Quare obſervationibus vel meis corruere illa ſaepe cognovi. Hic longum eſſet Botanicorum Syſtemata de Fungorum Origine cum ſuis animadverſionibus referre, cum conſilium coeperimus, malle potius Opuſculum hoc noſtrum paucis a nobis excogitatis paginis expleri, quam aliorum placitis. Scio fore, ut minus eruditi videamur, a repetita tamen crambe Lectorum noſtrorum ſtomachum vindicabimus. Verum quicumque cupit in hiſce Syſtematibus erudiri, Comitis Ferdinandi Marſilii Diſſertationem adeat, in qua Botanicorum fere omnium, qui de re Fungaria ſcripſere, collectio proſtat; animadverſiones vero, quae contra illorum placita faciunt, ex iis, quae ſequuntur, palam fient.

Ipſe itaque opinor, nulla ratione, ut dixi, Fungos ex putreſcente materia poſſe oriri. Fungos enim, ſive Boleti ſint, ſive Fungi proprie dicti, ſive Agarici, veras eſſe plantas ſuo modo abſolutas indico. Et quemadmodum in plantis familiare eſt, ut aliae immediate a Terra per radices nutriantur, aliae ex aliarum cortice ſuccum imbibant, quemadmodum Paraſiticae ſolent, ita in Fungis obſervare facile eſt. Quare inter paraſitica, Fungos proprie dictos fere omnes, & Agaricos recenſeo, quoniam ad arborum truncos aut ad radices earum pullulare ſolent, ſive virentes ſint, ſive aridae & humi dejectae. Reliqui vero, ut Coralloides, Boleti &c. ſemoti ab omnibus plantis, aliiſque a Lanciſio ſuppoſitis corporibus oriri cerno. Quare quemadmodum modo nulli Botanicorum acceptum eſſet plantas paraſiticas, ut Lychenes &c. dicere ex fibrarum elongatione plantarum, ſupra quae adoleſcunt, oriri, ſic de Fungis & Agaricis pronunciandum cenſeo, quiquid

Valliſne-

Valliſnerius *Supplemento ai Giornali d' Italia T. III.* & Landius con-tendant; nam Fungi omnes qui ad plantas naſcuntur, fibras conti-guas tantum, non autem continuas cum plantis, quibus ſuccre-ſcunt, habent. Agarici autem vel circa plantarum cloacas, quas Mori praeſertim patentiſſimas habent, oriri ſolent, quarum hu-mor cum terrae pulviſculo inter corticis rugas a ventis impacto fermenteſcens, Agaricorum ſeminale principium exquiſite expli-cat; vel etiam ad tigna aridoſque truncos, & *inter eorum rimas*, in quorum ſinus ſufficiens humiditas deliteſcat, ut ſeminale prin-cipium explicationem ſortiatur, in Agro Ariminenſi oriuntur. Quid plura? Scribunt aliqui Plantas Agaricis ſcatentes eſſe mor-ti proximas. Undecim ab hinc annis in villa mea hoc obſervo: per undecim itaque annos quaedam Prunorum arbores agaricis i-gnariis ſcatentes, invito hoc morbo, vitam protrahunt, & quan-tum conjectari poſſum, dummodo alio morbo non corripiantur, ad futurum ſeculum protrahent.

Praeterea cum cuivis diligenti obſervatori pateat Fungorum fibras contiguas tantum, non vero continuas cum plantis, quibus ſuccreſcunt, habeant, illud etiam innoteſcet, Fungos radices pe-culiares habere, quemadmodum reliquae Plantae habere ſolent; fatemur tamen in pleriſque mucoſam, ſeu ex tenuiſſimis filis ſi-mul implicatis contextam eſſe; aſt non deſunt diverſae Fungo-rum ſpecies, radices patentiſſimas habere corticali, carnoſo, & medullari corpore inſtructas, aut tuberoſas, aut retiformes, aut furculoſas &c. prout ex iconibus in Tabulis noſtris exaratis patet. Univerſi inſuper Fungi ſtructura conſtant organica, artificio non vulgari elaborata, ubi Supremi Opificis manus non lateat. Spe-cierum conſtantia non deſideratur; nam Fungi, quos in Italia ob-ſervamus, non modo cum iis, quos in Gallia, Germania, Anglia, & reliquis Europae Regionibus legunt, ſpecie conveniunt, ſed cum iis etiam, quos circa Byzantium Buxbaum obſervavit, ut ex ejuſdem Centuriis cognovimus. Praeterea ſi Fungi inter naturae luſus eſſent revocandi, non modo ſpecierum conſtantia deſidera-retur, ſed in partes etiam, ut vocant, eſſentiales defatiſcerent. Fieri enim poſſet ut Boletus coralloides abſque volva pullularet, aut ſaltem volvam, quam ex variis trapeziis compoſitam habet, aliquando laevem, ut Phalloides, geſtaret, quod nunquam acci-dit. Nunquam Phalloides pro pileolo ſcrobiculato lamellatum gerit. Nunquam Fungi pileati, qui ex volva ſolent erumpere, ea deſtituuntur. Nunquam ii, qui volva carent ex volva erumpunt. Praeterea qui lacteo ſucco turgent, & *Amanitae piperatae* appel-lantur, eo quod ſuccus piperis acredinem aemuletur, ad quaſcum-

que

que plantas ſive Quercus vivas, ſive Populos mortuas, dejectaſque naſcantur, ut ipſe expertus ſum tales ſuccorum proprietates imperturbati ſervant. Ergo conſtantia non modo in ſpeciebus, ſed in partibus etiam eorum eſſentialibus viget.

Illud etiam obſervationibus meis repugnat, Arbores ſuos peculiares Fungos edere; nam praeter quam quod univerſa Boletorum, Coralloidum &c. familia ab omni arbore ſemota pullulet, eadem Fungorum ſpecies ad Sambucos, ad Populos, ad Ulmos, & ad Quercus a me lecta eſt. Sic etiam eadem Agarici ſpecies modo ad Ulmos & Quercus; alia modo ad Moros & Malos, a me eſt ſaepe reperta, non modo in una, aut altera ſpecie, ſed in multis. Quid ſi Lector apud gravem aliquem Auctorem legat, molliores Fungos ad arborum radices gigni potius, quam ad truncum, duriores vero qui arborum ramis proveniunt? Quidnam rationibus phyſicis, quibus haec doctrina fulcitur, reſpondebit? Dicat in Agro Ariminenſi aliter Naturam operari; ſiquidem non modo duros Fungos ad arborum radices, ſed etiam lignoſos *Agaricos dedalaeis ſinibus excavatos* nos interdum legiſſe, & ad majores arborum ramos, non modo non Agaricos duriores, ſed molliores & eſui etiam ſuaves Fungos inveniſſe. Illud etiam aegre concipio, ſemina, quae per ſeceſſum fere integra a nonnullis quadrupedibus redduntur, poſſe Fungos producere; obſervationes enim deciſivae deſiderantur, & phantaſiae in hoc multa gratis conceduntur; ego autem judico, hujuſmodi ſemina aut omnino marceſcere, aut ſi in coctione non fuerint admodum mutata, facilius videtur poſſe ſe ſe in plantam explicare, quam degenerare in Fungum. Similiter colorum varietates Fungorum a ſuccis Plantarum, quibus adhaerent, repetere potius, quam a peculiari intima organorum Fungorum ſtructura, & configuratione, non ſatis probo; nam eadem Fungorum ſpecies, quae ad Quercus & Ulmos, ad Ulmos & Moros, ad Quercus & Populos &c. invenitur, eoſdem conſtantes colores ubique praeſefert, cum in id genus plantis ſuccus diverſus, Chemia docente, inhabitet. Illud etiam inconſulto nimis confictum cognoſcimus, Fungos eſſe inſectorum nidos ea ferme ratione, ac modo coralla, madreporas, & ceteras marinas lapideas plantas, eſſe volunt. Multas enim novi Fungorum & praeſertim Boletorum ſpecies, ab infectis omnino immunes; immo eſt Fungus, cujus halitu muſcae occumbunt.

Quod autem Fungi variis oriantur locis, in quibus praejacens ſemen ſuſpicari arduum eſt, non moveor. Tales ſunt Fungi Valliſnerii ſupra meningem humanam orti, & Fungi Bartolutii in phyala vitrea *Lychenis pratenſis* ſubplena cum aqua permixti, poſt ſeptem

tem circiter menſium fermentationem enati. Quis enim non videt quam tenue eſſe debeat Fungorum ſemen, ut facili negotio concipi poſſit, per aerem volitare, ut Capillarium plantarum ſemina ſolent? quare fortuito ſupra talem meningem labi, & ſupra *Lychenem* poterat, antequam in vas uterque includeretur, & poſtea fermentatione excitata, infra annum explicari? Neque etiam movemur, quod in illa Bartolutii phyala quidquam Fungorum amplius non creverit, cum illa ſeptem menſium fermentatio potuiſſet quidem efficere, ut primi fungi explicarentur, non vero ut ſemen perficerent. Denique etiamſi ſemen ad ſuam maturitatem perveniſſet, multa tamen ad novam germinationem prohibendam aderant. Aderat enim corruptus aer, aderat corrupta matrix, aderat corrupta aqua. Numquid haec omnia, quando pullularunt primi, non aderant? aderant quidem, ſed tunc fermenteſcentia tantum, non vero corrupta, & putrida. Nam Fungi quamvis matricis fermentatione, ut explicentur, indigeant; in locis tamen ubi corruptus omnino aer, corruptaque aqua & matrix eſt, nihil plantarum ſolet oriri.

Neque Ulmorum Veſicae, neque Gallae variae, neque Foliorum, aut radicum vitia, quid pro Fungorum generatione fortuita molliuntur, eaque tanquam plantarum morbos ſuſpicari, quemadmodum *Porri*, *Oedemata*, *Lupi*, aliaque id genus humani corporis incommoda. Vitia enim illa omnia radices non habent, ut Fungi habere ſolent, ſed Plantarum illarum fibrae ſunt cum id genus vitiis continuae; deinde illa eadem vitia plantis vivis dumtaxat proveniunt, ſemper quid plantae, ſupra quam ſuccreſcunt, habent; hujuſmodi vitia non omnibus plantis indiſcriminatim, ſed peculiaribus tantum proveniunt; praeterea inſectorum induſtria & ratio vulnerum in plantas inflictorum, ad ova deponenda, & locus in quem vulnus ab inſectis infligitur, & inſectorum diverſitas, ad illorum morborum diverſitatem producendum, plurimum conferunt. Sic *Populus nigra* Gallas quaſdam apud nos habet, quae a ceteris omnibus differunt, nec ulla ratione cum quercinis conveniunt; ſic *Gallae quercuum*, quae variae ſunt ſpecie, pro variis inſectorum ſpeciebus, quorum morſu eorum rami afficiuntur, ſemper ad quercus, non vero ad alias plantas pullulant. Sic *Spongia Bedeguar* uni Cynorrhodon reperitur, quod de Fungis dici non poteſt. Quapropter quicumque attentius animo reputaverit ea, quae hactenus a nobis dicta ſunt, ex conſtantiſſimis noſtris obſervationibus deprompta, & ſuppoſita variorum Auctorum, quibus eorum Syſtemata nituntur, cum obſervationibus noſtris contulerit; profecto eadem

dem omnia Syſtemata, quae docent, *Fungos eſſe naturae luſus*, & ex putredine coaleſcere, ſponte corruere cognoſcet. Itaque ſi hiſce omnibus neglectis, quae a nobis dicta ſunt, contendat quis nihilominus Fungos eſſe naturae luſus, & a putredine gigni, vel a Plantarum fibrarum elongatione &c. equidem quid amplius addam ignorans, dicam tamen, quod ſi *ludens natura* poſſit virtute propria corpora haec organica, tanto artificio, ac conſtantia in ſuis ſpeciebus producere, non diffiteor non modo *Confervas*, capillareſque plantas, quarum ſemen ad noſtram fere uſque aetatem Botanicos latuit, ſed pulchriores perfectioreſque plantas, quin & inſecta perfectioraque, ut vocant, animalia, poſſe ludendo producere.

Illud Secundo loco perquirendum remanet, utrum a peculiari ſemine Fungi oriantur, quidque hoc ſit, ubi in Fungis lateat, & quomodo ſeri debeat. Hic aliquid compendioſe dicemus, de eo quod recentiores experti ſunt, quidque ex eorum experimentis, abſque animi & judicii praecipitatione, certi conſequi poſſit.

Michelius in primis Botanicus Florentinus clariſſimus ſemen peculiare Fungis omnibus adeſſe eſt ſuſpicatus. In Agaricis fiſtuloſis & Fungis ſuillis, obſervat in fiſtularum intimis extremitatibus illud latitare; in lamellatis vero Fungis, pulviſculum illum plerumque albeſcentem, pro ſemine uſurpandum putat; in aliis vero Fungorum generibus, alio latitare exiſtimat, prout in ſuo Libro cui titulus *Nova Plantarum genera pag.* 136. videri poterit. Ut autem ea, quae ſuſpicabatur, experimento demonſtraret, quamvis fruſtra ſaepe laboraſſe ſcribat, accidit tamen quod IV. Id. Junii anni 1718. Supra Tabulam folia Ilicis, Quercus, Lauri, Fraxini, arida quidem & a putredine tantillum mutata extendit, eaque variorum Fungorum pulviſculo affecit, hinc haec omnia ad Bobolim, & ad Montem Olivetum locis Fungorum propagationi aptis, terrae commiſit: tandem X. Kal. Octobris ejuſdem anni ad Bobolim ſupra illa conſepulta folia, fungillos natos invenit, quos circa finem Octobris grandiores factos reperit. Profecto hoc Michelii experimentum clariſſimorum in Botanica virorum ſolertiam vicit. Rigidi tamen Cenſoris judicio cauſſam injudicatam Michelius reliquit; primo enim experimentum eſt ſingulare, ubi in rebus phyſicis hujuſmodi ſingularia experimenta Phyſicorum mentes agitant, ſed non componunt; deinde aſſerit Michelius, Fungillos natos ex ſemine ſato vidiſſe, ſed ejuſdem ſpeciei eſſe, ac illos, ex quibus ſemen deſumpſerat, non commemorat, quod quidem Michelii jura infirmat. Mazzolius tamen

men Michelio velificans, utramque objectionem diluit. Etenim in Diſſ. quadam de Fungorum origine, quae legitur in Monumentis quibuſdam Lucenſibus, quorum titulus *Memorie ſopra la Fiſica e Iſtoria naturale ec.* (Quod opus, quamvis imperfectum; perfectam tamen Impreſſorum *fraudulentiam* oſtentat). Itaque Mazzolius Tomo I. pag. 172. ait: *in riprova di ciò ſappia, che avendo trovato un di quei Funghi malefici chiamato da Gaſparo Bavino nel ſuo Pinace* FUNGUS FOETIDUS PENIS IMAGINEM REFERENS, *e da Giovanni Bavino* FUNGUS PHALLOIDES, *lo laſciai qualche giorno in una catinella d' acqua, e vidi che dalla ſua ſommità aveva gettato alcuni granelletti ovali, li quali andavano al fondo del vaſo: gli adunai, e poſti con la terra in uno dei catini, dove era la Pietra Fungifera, in pochi giorni nacquero cinque o ſei di detti Funghi della ſteſſa figura di quello, da cui avea levato il ſeme.* Inſigne hoc experimentum dubium omne dirimeret, niſi laevis difficultas occurreret, quae religioſas phyſicorum mentes obumbrat; etenim varios Fungarios lapides Amici tum Romae degentes, tum Neapoli ad me humaniſſime miſerunt, quacumque adhibita diligentia, alios Fungos ex iis non legi, niſi ex Porcinorum genere; deinde quodlibet hujuſmodi Fungorum exordium, *Phallum* quidem aemulatur, non vero *Phalloidem*. Haec tamen dicta ſint, non ut experimento fidem negem a Mazzolio inſtituto, ſed tantum, quid mihi in hujuſmodi periculis acciderit, ut narrem; quibus caſibus illud perferre conabar, ut ab experimentis circa Fungorum exordium a proprio ſemine repetendum, nihil certi conſequi poſſem.

Neque inſuper experimenta mea toties a me repetita, cauſſae Michelii patrocinabantur omnino; periculum enim in ſeminibus *Fungorum calyciformium* Mentzellii tentavi; multa etiam Fungorum fruſtula, multos & integros Terrae commiſi, multos in aqua decoxi, & aquam in loca Fungorum vegetationi apta abjeci; ſaepe Fungorum pulviſculum Tuberaſtro excepi, oleum ſemper & operam perdidiſſe cognovi. Quare Michelii caſtra paullatim videbamur deſerere. Illud etiam dubium augere ac fovere videbatur, quod plerumque pileatorum Fungorum exordium, erat ex mucoris acervo, & nonnullos legeram, qui ex vitiatis plantarum radicibus pullulaſſe videbantur, quales ſunt Fungus B Tab. VIII. & Agaricus B Tab. XXXII. Tandem IV. Id. Septembris anni 1747. accidit, quod ſupra ſubputrida quercus folia cujuſdam lamellati Fungi, pulviſculum excepi, quae omnia ſub terram in loco Fungorum vegetationi optimo depoſui; tempus antea ſerenum fuerat, poſtero autem

die uſque ad diem tertium Octobris ſubpluvium. Nonis autem hujuſce Menſis locum adivi, & natos Fungillos inveni. Radices nudo oculo ramoſas & arcuatas conſpexi. Pedunculi erant albidi, Pileoli magnitudine grani Panici, & globoſi ex mucoſa vireſcente materia erant; quibus diligentiſſime repoſitis, triduo poſt locum denuo adivi, & omnia ab inſectis corroſa, cum maxima animi indignatione, inveni. Alias pariter eadem tentavi, ſed laborem omnem, atque induſtriam ſemper fruſtra conſumpſi; unde illud vehementer probo, quod Michelius aſſerit, ubi ait: *innumeros pene caſus obſervaſſe, per quos contingit vel eoſdem Fungos non naſci, vel eruptionem praevertere, vel protrahere, ſeu majori, vel minori copia progigni*. Quid itaque ſentiendum proponam Lectori amico, ex iis, quae ipſe obſervaveram? profecto nihil certi. Etenim Fungilli, quos natos vidi, erant ſane ſimiles inter ſe, ſed nemo illorum cum Fungo, a quo ſemina deſumpſeram, forma conveniebat. Hic enim radices non habebat, ſed pro iis mucoris acervus ſubſtituebatur, illi utique radicibus ſcatebant; hic erat totus albidus, illi pileolum vireſcentem gerebant. Quare nemo non videt quod ſi ex. g. ex Cicerculae ſemine Aſparagus oriatur, & vice verſa, prudens Phyſicus nunquam deducet: ergo Cicercula & Aſparagus ex peculiari ſemine oriuntur.

Accepimus tandem a Cl. Johanne Franciſco Seguierio Tom. I. Plant. Veronenſium pag. 13. *Johannem Gottlieb Gleditſchium in Epicriſeos Siegesbeckianae Conſideratione in Linnaei Syſtema Plantarum ſexuale*, Michelii experimenta, circa Fungorum originem, a ſe repetita foelici exitu, commemorare. Quapropter Gleditſchii opuſculum mihi accerſivi, ut quae a Seguierio citata acceperam in fonte legerem, ubi quod diù ſcire cupiebam ibi abunde inveni. Ait enim pag. 59.: *Quantum enim per me licuit potiora perquiſivi, reiteravi, ſemina vidi, eaque debita arte ad propagandum occultavi, & eventus intentioni ubique fecit ſatis, ut aliis propterea, quorum examen mihi adhuc ſupereſt, pleniorem interdum fidem vix detraham, & Cl. Auctori Micheliana Opera proinde valdopere commendem. Ut & aliud tandem experimentum addam, hortolanis infimae etiam ſortis ferme notiſſimum, quod citra moleſtiam, ac difficultatem certo certius ſuccedit; Si ex. g. Agarici, Boleti, Hydnae &c. ſeminibus impregnata aqua (capitulorum eorundem Fungorum minutim inciſorum, ſedula ablutione obtenta) ſuperficiei modice caleſcentis fimeti affunditur, Fungorum copia paullo poſt* EJUSDEM SPECIEI *prorumpit, cujus ſemina ad hoc negotium impenſa fuerunt*. En quomodo a viro doctiſſimo Gledit.

qui

qui paucis ab hinc annis Italiam magno virtutis in re Botanica apparatu, ingreſſus eſt, pleniſſime de Fungorum generatione docemur, ut Michelii experimenta novam lucem conſequantur. Itaque Cauſſam de Fungorum generatione per Michelium, & Gleditſchium jam judicatam cenſeo. Quid tamen ſi forte accidat, ut dum aliquis, hujuſmodi experimenta reiterando, Fungos diverſae ſpeciei naſci videat ab illis, a quibus ſemen deſumpſerat? numquid iterum ad *Putredinem*, & ad *Naturae luſus* animum convertet? imprudens utique ſi id animo excogitaverit.

Etenim nemo ſanus hac noſtra aetate inter Phyſicos numeratur, cui perſuaſum non ſit, Plantas omnes ex proprio ſemine gigni; tamen in plantis, de quibus dubitari nequit, quin ex proprio ſemine oriantur, haec admiratione digna obſervantur. *Tithymalus Cypariſſias* C. B. P. 291. ab alio, qui ab eodem Auctore *Tithymalus Cypariſſias foliis punctis croceis notatus appellatur*, facie ita differt, ut duos ſpecie diverſos idem Bauhinus, Geſnerus, Thalius, & Camerarius illos ſtatuant, *J. Planco* tamen indigitante, ſaepe utroſque ex eadem radice pullulaſſe vidi, quare ſecundam Tithymali ſpeciem, alterius vitium eſſe, cognovi. Deinde cum anno 1749. Bononiam conceſſerim, ut quae cum ſtudiis meis conveniebant, inviſerem, & Amicos intra clariſſimum virorum illorum Coetum mihi compararem, accidit ſane, ut in elegantiſſimo Viridario honeſti doctique Viri Ferdinandi Baſſii, cum quo amicitiam contraxeram, illud ab ipſius obſervationibus, & tentaminibus acciperem, quod Botanicorum admirationem exigit. Baſſius itaque noſter rerum naturalium, ac praeſertim Botanicae ſtudioſiſſimus, nullis parcens laboribus, ac ſumptibus, elegantiſſimorum Caryophyllorum ſemina ex Batavia ſibi comparavit; quare cum bis terrae commiſiſſet ſemina, quae ex Caryophyllo flavo a Batavis *Citron geel* dicto, ſuſceperat, & ex alia flavi Caryophylli ſpecie ab iiſdem Batavis *Oranje* appellati, factum eſt ut ex primi ſeminibus, Caryophyllos albos, roſacei coloris, & quoſdam paleares colore, natos admiraretur; ex ſeminibus vero alterius ſpeciei, cujus flavum aureum erat, rubentibus lituris aſperſum, albos alios, alios vero ſanguinei intenſiſſimi coloris, flavoſque alios rubentibus lituris mirum in modum luxuriantes pullulaſſe vidit. Qua de re memini, quod, dum ſermonem haberem cum V. C. Joſepho Montio Publico Bononiae Botanices Profeſſore, dixit mihi, quod niſi ipſius Baſſii religioſa diligentia, & fides ſibi innoteſceret, vix cuivis fidem praeſtitiſſet. Denique dum haec ſcriberem ad manus mihi pervenit, Hybridum quarundam, & praecipue de Ranun-

culo Bellidifloro Diſſertatio anno 1753. Tiguri impreſſa, cujus Diſſertationis copiam mihi fecerat Plancus, in qua pag. 3. Auctor ſcribit: *Menſe Majo anni proxime elapſi* 1752. *Amicus meus honoratiſſimus D. C. Goſſuveilerus Botanophylus inſignis, & in album Societatis Caeſariae Florentinae inſcriptus, inſolitum ex regno vegetabili ſpectaculum ad me miſit, Ranunculum nimirum pratenſem floribus Ranunculi una cum floribus Bellidis minoris onuſtum.* In hac erudita Diſſertatione *Peloriae* variae, ſeu monſtroſae Plantae, quae in quadam Antirrhini, Elatinis &c. ſpecie ſunt obſervatae, referuntur.

Haec autem ſi antea mihi innotuiſſent, fortaſſe ita ſolicitus non fuiſſem, ut a Fungorum ſeminum ſatoribus convenientiam natorum cum iis, a quibus ſemen deſumpſerant, exigerem: fieri enim poteſt, quod Fungi ſint ex illis Plantis, & quidem plerumque paraſiticis, quae ſaepiſſime & facillime ſtructuram alterant. Gratiſſimum tamen fuit ita accidiſſe, primum quia, quod Botanicis erat fere inauditum, novi; deinde cum jure meo illud exigere viderer, quod ad rem decernendam levioris ponderis non erat, ſophiſmatis nemo me arguet. Hinc caute admodum procedendum judico in Fungorum pileolo praeſertim lamellato ſpeciebus ſecernendis; id genus enim Fungi facili negotio variationes ſubeunt, aut ſoli ariditate, aut ſterilitate, aut humiditate, aut pinguedine, aut ſuccorum nutrientium diverſitate &c. unde vel color alterationem ſubit, vel pedunculus, vel Pileolus, vel ſulci, quare facili negotio Botanicus allucinabitur, & duos vel tres, vel plures id genus Fungos ſpecie differre arbitrabitur, cum revera ejuſdem ſpeciei fuerint.

Itaque cum ex iis, quae hactenus a nobis dicta ſunt, ſyſtemata omnia, quae Fungos vel a putredine repetunt, vel quae ad oſtendendum eos eſſe plantarum vitia, ſunt conficta, nimium vacillent: deinde cum elegans in iis vigeat ſtructura, & ſpecierum *generatim* conſtantia, & proprietates; tandem cum ſemina detecta ſint, quae ſata Fungos *ejuſdem ſpeciei* producunt, imprudens conſilium, meo judicio, foret, Fungos inter *naturae luſus*, aut inter *plantarum vitia* revocandos eſſe contendere. Hiſce compendioſe, quae ad Fungorum generationem pertinent, expletis, quaedam capita hic adjungemus, in quibus nonnulla perſtringemus, ad pleniorem Fungorum notitiam neceſſaria. Quare ſit.

CAPUT

CAPUT I.

De variis Fungorum Codicibus in Italia exiſtentibus ineditis.

TRes in Italia Fungorum Codices ineditos exiſtere ſcio. Primus & ceteris celebrior ille eſt, qui in privata Pontificia Bibliotheca ſervatur, de quo Lanciſius in Epiſtola de Fungorum origine ad Marſilium IV. Non. Januarii anni 1714. data ait §. XIV. *Rogamus itaque S. S. Principem, ut hunc theſaurum latere non patiatur; praeſertim cum innumerabiles illas, ut ita dicam, icones ex naturalibus Fungorum archetypis, non ab imperito, aut oſcitante homine, ſed ſummo ſtudio a duobus magnis viris expreſſas arbitremur; nimirum ab Excellentiſſimo Magnate Federico Ceſio, celebri olim Lynceorum Academiae Principe, nec non a Joanne Heckio, qui magnus ſui aevi Medicus, & Botanicus extitit. Namque non ſolum inſignia Ceſiorum ſingulis fere Codicibus, qui figuras continent, impreſſa ſunt; verum etiam in his, qui de Fungis tractant, paſſim adnotatum legitur obſervatos Ceſi, Aquaſpartae, aut in aliis Ceſiorum Oppidis.*

Secundus autem Codex ille eſt, qui Comitis Ferdinandi Marſilii Studio & Opera fuerat compoſitus, eo nimirum tempore, quo Dux Pontificii Exercitus exiſtens, Croatiae, & Hungariae Regna militibus, annis 1699. & ſequenti, invaſerat. Hoc autem patet ex eo, quod in ejuſdem Equitis Diſſert. de Generatione Fungorum ad Lanciſium §. VI. legitur: *Tanta* (inquit) *collectio Fungorum fuit in cauſſa, ut delineatoribus, qui in Caſtris erant imperaverim, ut figuras formarent, compoſito ingenti volumine, cui Titulus: Collectio Fungorum vegetantium in Regnis Croatiae, & Hungariae, quod Volumen ad praefatum Doctorem Canonicum Trionfettum miſi, ut illud Botanica methodo ordinaret, quod & ordinavit addita ingenti copia illorum, qui in Territorio noſtro Bononienſi naſcuntur. Volumen autem jam reperitur inter mea M. S. in publico Inſtituto Scientiarum, & Artium, ſuo tempore, publicae luci* * *mandandum.*

Tertius denique a V. C. Brunone Tottio Abbate Vallumbroſano, Botanices & rerum naturalis Hiſtoriae viro doctiſſimo conſcriptus eſt. In hoc multa Fungorum ſchemata ab ipſo delineata, & vivis coloribus picta cernuntur. Hunc autem Codicem ſuis manibus humaniſſimus Auctor, ſub finem Auguſti anni 1740. mihi pervolvendum tradidit; nam ut cognitionem illuſtris Viri mihi compararem, Vallumbroſam conceſſi, a quo humaniſſime exceptus fui, apud quem & inſtructiſſimam Scriptorum Rei Herbariae, & Naturalis Hiſtoriae refertiſſimam Bibliothecam admira-

admiratus ſum; quin etiam & Avium ſeriem elegantiſſimam pari ratione delineatam, & vivis pictam coloribus, mihi oſtendit, ad quam perficiendam adjutrices manus adhibuerat. Tanta erat Viri ingenuitas atque animi probitas, ut haec etiam non quaerentibus fateretur. Neque apud doctiſſimum Virum, non tenuis variarum Plantarum itidem pictarum ſeries deerat, inter cujus folia varii erant inſectorum luſus, ad vivum expreſſi.

Per biduum, apud quem moratus ſum, docte ſimul & urbane humaniſſimus Senex mecum ſermonem contulit, multa etiam de Planci noſtri Doctrina praefatus eſt, quem plurimi faciebat: aitque Ariminenſium, apud doctos ſenſatoſque viros, gloriam illam, quam in Planco ditando, honoribuſque cumulando conſequerentur, fore incomparabilem, Theſaurum autem coelitus datum illum eſſe affirmabat. Querebatur autem ſe jam ſenio confectum: quare Planci inviſendi deſiderium, ſupremo die mutandum exiſtimabat; unde per jocum dixit: aliud iter nobis erit inſtituendum, nempe ad beatos elyſios, ut ibi novo Botanices ſtudio operam navemus. Anno aurem 1744 cum iterum Vallumbroſam repeterem, ut Doctiſſimum Senem reviſerem, jam morte ſublatum audivi; Bibliothecam ejus adivi, & libris fere omnibus pervolutis, nec Fungorum codicem, nec Aves, nec Plantas ab ipſo exaratas inveni, quare haec mala arte ſublata putabam. Ex literis tamen humaniſſimi Fulgentii Vitmani Monaci Vallumbroſani rei Botanicae ſtudioſiſſimi XVII. Kal. Aug. hujuſce anni 1754. ad me datis accipio, illa omnia in eadem Tottiana Bibliotheca diligentiſſime ſervari. Codicis autem hujuſce titulus eſt: *Sylva Fungorum, quos collegit, ordinavit, depinxit D. Bruno Tozzi Florentinus, Abbas Vallumbroſanus, Regiae Societatis Londinenſis, & Botanicae Florentinae Sodalis anno* 1724. Hujuſmodi Fungorum ſchemata, eodem Vitmano referente, centenarium numerum aliquoties repetitum ſuperant. Alii in eodem codice Fungi delineati, deſcripti, ac picti extant, quorum titulus eſt: *Fungi nonnulli a D. J. Jac. Dillenio M. D. Giſſenſi &c. Peritiſſimo Botanico obſervati*: denique & alii quibus titulum fecit. *Aliquot Fungi ex obſervationibus D. Jo. Philippi Breynii M. D. Gedanenſis &c. Botanici inſignis.*

CAPUT II.

De Fungorum natura, quae ex Analyſi eorum poteſt deduci.

DUM diù haeſitarem, quomodo Fungorum naturam per Analyſim Chymicam perſcrutari poſſem, & cum ne mediocriter

diocriter quidem in illius Artis praxi eſſem verſatus, nec cui rem crederem invenerim; accidit tandem ut Stephani Franciſci Geoffroy opus elaboratiſſimum, quamvis ad umbilicum non protractum, ad manus mihi perveniret, in quo quod jamdiù quaerebam in partem inveni. Vidi enim exquiſitas religioſaſque Analyſes, quas de Boletis, Fungis nonnullis, Lycoperdis, atque etiam de Laricis Officinarum Agarico; quare rebus perpenſis, quid de Fungorum natura ſentiendum, cognovi, & quam longe a veritate Medici in Fungorum natura definienda, qui ante Geoffroy fuerunt, proceſſerint, facile dignoſci poterit. Hic per extenſum Analyſes non referemus, neceſſarium enim hoc eſſe non arbitramur, ſed quicumque eas legere exoptant, ad voces *Fungus*, *Agaricus*, *Boletus* opus notatum adeant, & quod quaerunt invenient. Nos autem Summam tantum hic ſuppeditabimus.

Itaque poſtquam ex *V* Boletorum eſculentorum lib. ea omnia quae per Retortam, & per lixivium extrahi poſſunt, eduxit, concludit: *Boleti Salem eſſentialem continent tartaro ſimilem, cum Sale ammoniacali conjunctum, cum oleo copioſo permiſtum, & multo phlegmate dilutum*. Deinde quoad Fungos proprie dictos, *V*. lib. Fungorum eſculentorum ſumpſit, illius nempe ſpeciei, qui *Fungus pileolo lato & rotundo* dicitur, qui in Tab. noſtra VII. ſub lit. A proſtat; ubi analyſi peracta ait: *Fungi Salem ammoniacalem eſſentialem continere videntur, cujus acidum ſale volatili, urinoſo, copioſo, ſaturatum eſt cum oleo copioſo ac pauca terra conjunctum. Haec principia magna phlegmatis copia diluuntur. Ex actuoſo illo Sale volatili urinoſo, ammoniacali, oleoſo, ſapor & odor Fungorum; unde etiam eorum corruptio, vel putrefactio facilis. Si enim contuſi ſibi relinquantur ad putreſcendum, in liquorem mucoſum colliqueſcunt, qui nullas ſalis urinoſi notas amplius praebent, ſed ſalſi & acidi ſalis evoluti. Urinoſus enim ſal volatilis avolat*. Denique Lycoperdi etiam Analyſi peracta, inquit: *ille Fungus ſalem eſſentialem ammoniacalem continet, multo ſale volatili urinoſo ſaturatum, cum oleo tenui, acri, copioſo, terraque adſtringente permixtum* deinde addit: *interne ob metum veneni non exhibetur. Externe adſtringit, incraſſat, & humectat .... Oculis tamen pulvis iſte inimicus eſt, vehementiſſimaſque ophthalmias incaute inſperſus producit*. Enormis id genus ophthalmiae exemplum refert Muys Praxi Chirurgica pag. 1.

En quaenam principia id genus Fungi contineant; & quamvis cognita unius, aut alterius ſpeciei natura, per Analyſim, prudens Phyſicus jure dubitaret, utrum idem de reliquis eſſet ſentiendum: affirmare tamen non dubitamus, ſimilia principia *generatim*

ratim in reliquis etiam ineſſe, eo tantum diſcrimine, quod in aliquibus plus aut phlegmatis, aut olei, aut ſalis volatilis &c. abundet, vel deſideretur, quam in aliis, cum Fungorum textura generatim, odor, & ſapor multum inter ſe conveniant. Diximus *generatim* quia ſcimus, aliquas Fungorum ſpecies eſſe natura ſua diverſas, quoad vires, & proprietates, ut *Fungus muſcas interficiens*, *Fungus* A Tab. XIII. qui phoſphorus eſt elegans, *Typhoides melitenſis*, qui vim adſtringentem habet, ubi reliqui ſunt potius ſolutivi, ſeu cathartici. Rogamus itaque doctos Chymicos, ut impoſterum in Fungorum Analyſim, ſtudium, & operam conferant, methodo Geoffroyana, quod Reip. opus valde utile praeſtabunt.

Fungi omnes vel eſculenti, generatim modice nutriunt, Boleti tamen *appetitum excitant, ſanguinis motum augent, vires inſtaurant, ſed parum nutriunt: uſu nimio ſanguinem accendunt: quapropter bilioſis, & calidis naturis, noxii cenſentur*, inquit laudatus Geoff. Hinc colligo quod qui afferunt Boletos eſſe natura frigidos, multum allucinantur. Omnes generatim ſcriptores, qui de Fungorum eſu loquuntur, docent ab hujuſmodi cibo abſtinendum; nam Fungi, etiam qui eſculenti ſunt, vitium interdum contrahunt ſtomacho, viſceribus, & nervis infeſtiſſimum, quod quidem vitium utrum ab imbribus copioſioribus, aut a Solo in quod exorti ſunt, ex quo pravum ſuccum imbibunt, aut a ratione eos condiendi, aut a ſtomachi comedentium diſpoſitione proficiſcatur, qui mihi divinabit, hic mihi magnus erit Apollo. Ex una tamen aut altera ex allatis cauſſis, vitium hoc proficiſci, alienum a veritate non judico. Symptomata autem quae ab eſu id genus vitiatorum Fungorum excitantur, ſcimus eſſe Vomitum, Praecordiorum oppreſſionem & anxietatem, ſtrangulationis ſenſum, Ventris tormina, Cardialgiam, Diarrhoeam, Dyſenteriam, animi Deliquium, Sudorem frigidum, Singultum, Tremorem partium, & alia, quae ſunt etiam lethalia, & tanti ponderis, quae abunde ſufficiunt, ut quicumque prudens propriae ſtudet incolumitati, odium in univerſam Fungorum familiam vatinianum contrahat.

CAPUT III.

De Fungorum utilitate.

CUM ea quae a Sapientia Conditoris ſupra Terram condita ſunt, omnia non ſine ſapientiſſimo conſilio creata ſint; ideo quemadmodum ceterae productiones ad orbis terraquei oeconomiam,

nomiam, & ad viventium utilitatem conferunt, ita diffitendum non eſt, quin & in Fungis utilitas reperiatur. Etenim quamvis vulgarium oculis viliſſima corpora appareant, quae etiam ſi omnino delerentur, nihil hoc damni oeconomiae orbis terraquei afferret, & animalium incolumitati nihil officeret: oculis tamen ſenſatorum hominum non ita videtur, quibus, perſuaſum eſt: *Deum & Naturam nihil moliri fruſtra*. Fatemur tamen utilitatem, quam ex Fungis conſequimur non eſſe ſummam, ſed hoc non id genus corporum vitio, ſed hominum ſuperbia, & otio contingit, dum ea manibus pertractare dedignantur, & labores meditationeſque impendere in iis, quae Deus Providentia ſua condere non erubuit.

Prima itaque utilitas, quae ex Fungis provenit, ea eſt, quam varia animalia conſequuntur; ſiquidem in iis optime inſecta quaedam nutriuntur; deinde in cibum hominum cedunt, ut *Tubera: Fungi verni, Mouceron dicti, odori, & eſculenti* J. B. 3. 823. qui vulgo *Prugnoli* appellantur, ex quibus dapes ſalubres, & optimae parantur, quibus praeſtantiores menſae ſuperbiunt. Sic etiam Boleti, & reliqui eſculenti Fungi ſimili honore donantur.

Secundo in quoſdam humanos uſus domeſticos Fungi advocantur, ut lignoſus ille Agaricus, qui *Pes equinus* dicitur, (ad lit. E Tab. XXXVII.) qui in varias lamellas ſectus, dein malleo contuſus, & in aqua nitrata excoctus, in eſcam ad ignem chalybe, & ſilice excuſſum excipiendum, paratur.

Tertio in Medicum uſum Fungi veniunt plurimi; Officinarum *Agaricus Laricis*, qui inter Cathartica, Incidentia, & Antifebrilia recenſetur; qui etiam propter alexipharmacam vim Theriacam ingreditur. Sic etiam Fungus Sambucinus, qui *Auricula Judae* nuncupatur, inter Adſtringentia, Exſiccantia, Ophthalmica, & Deobſtruentia numeratur. *In lacte decoct. aut aceto maceratus in Angina, aliiſque oris, aut gutturis tumoribus exhiberi ſolet, & ad gargariſandum, aut guttur eluendum*. Raii Syn. p. 18. Inſuper celebris eſt *Typhoides Melitenſis*, ſeu *Fungus Melitenſis*, qui ad ſanguinem ſiſtendum in haemorrhagiis, ceteris adſtringentibus praeſtat; cum mirifice effectum producat, & ſanguinem a ſtatu fluiditatis naturalis minime turbet, quod Vitriolum, & Alumen non concedunt; ut Jo. Antonius Stancarius periculis in hiſce omnibus medicinis doctus, admonet Tomo I. Scient. Ac. Inſtituti Bononienſis pag. 158. & ſeq. Ex Lycoperdis utilitas non deſideratur; ſcribit enim ſuperius laudatus Geoffroy Tom. II. pag. 270. *Interne* (Lycoperdon) *ob metum veneni non exhibetur. Externe adſtringit, incraſſat, & humida abſorbet, & ſangui-*

ſanguinem ſiſtentibus medicamentis annumeratur. Vulneribus unde ſanguis prorumpit exſiccatus, & pulveratus inſpergitur, ulcera manantia exſiccat, haemorrhoidum fluxum cohibet. Vetuſtiores & juſtam maturitatem adepti, exſiccati, & omni pulvere vacui in Germania a Tonſoribus omnibus aſſervantur ad hos uſus. Fungus lichenis facie variegatus J. R. H. 562. in pulverem redactus, & cum ſaccharo permixtus in phthiſi inveterata utilis eſt *Eph. Germ. An. II. Obſ.* 121. Atque hae ſunt, quae de Fungis utilitates mihi innoteſcunt; quare non diffiteor, & alibi alias hominibus eſſe notas, & quod caput eſt, ſi in hoc ſtudio homines hilari animo laborarent, non dubito quin & alias, & majores etiam praeſtantioreſque humano generi invenirent.

CAPUT IV.

Qua diligentia uti debeamus in Fungis excoquendis.

COelii Apicii de re Culinaria opuſculum Baſileae anno 1741. Albani Turini cura impreſſum, ejuſdem Apicii opuſculum cum notis Cl. Martini Lyſterii anno 1709. Amſtelodami recuſum, attente perlegi, ubi de Tuberibus, Boletis, & Fungis in cibum parandis Cap. XIII. & XIV. Lib. VII. loquitur. Verum cum eo tempore opinio vigeret apud Medicos, Fungos ſua natura *frigidos* eſſe, quare in iis condiendis ad coctionem multa calefacientia uſurpantur, qualia ſunt *Merum*, *Piper longum*, *Allium*, *Coriandrum*, *Mentha*, & *Ruta*; oleum autem olivarum aut raro, aut ſemper in modica quantitate praeſcribitur; ideo illam eos excoquendi rationem non probantes, illud de Fungorum coctione praeſcribemus, quod ſemper innoxium mihi fuit, & iis, qui Fungos, me docente, excoctos vel latrante ſtomacho comederunt. Quin etiam illud aſſerere non dubito: quod plus ſint ii, qui venenati a Fungis propter inconſultam, pravamque eos excoquendi rationem extiterint, quam propter eorundem Fungorum ab alia cauſſa proficiſcentem, venenatam naturam.

Seligantur itaque Fungi hoc ordine, (quem juxta eorum ſalubritatis gradum exponam.) Primo Fungi ex Tuberaſtro ſuſcepti eligantur, qui ſalubritate ceteris praeſtant; projiciatur pedunculus, quoniam coriaceus, & pileolus tantum in cibum paretur. Deinde Coralloides. Hinc Boleti eſculenti a nobis deſcripti. Inſuper Fungi membranacei, qui Pezizae appellantur, & Arimini *Orecchielle*. Si id genus ſpecies deſiderentur, Fungi ſumantur illi, quos eſculentos deſcripſimus, quibus omnibus

Alecto-

Alectorolofoides N. hic *Capo gallo*, praeſtat, dein *Fungus Pileolo lato*, & *rotundo*, denique Ovuli, & reliqui, quos eſculentos novimus.

Si iſti Fungi fuerint, qui ex Tuberaſtro proveniunt, aut Boleti, aut Fungi membranacei eſculenti, aut Coralloides: in aquam primum, diſſecti, immergantur, ad ſordes tollendas, qua excuſſa, in acetum validum demittantur, ibique per dimidiam circiter horam detineantur. Sic madidi educantur, & in vas terreum vitriatum ponantur, in quod excoqui debent; ſuccus Aurantii, aut Limonis, aut Omphacii addatur, deinde aſtaphides ſeu *paſſulas* ad gratiam, ut acidorum, & ſubacidorum acredinem mitiges, adjunge. Adde ſi vis Petroſelini folia, aut hujuſmodi, tantillum piperis, & ſalis. Denique manu minus avara olivarum oleum infunde, & ibi haec omnia ebulliant, donec Fungi colorem mutent, & eorum ſubſtantia tantillum flacceſcat.

Aſt ſi fuerint Fungi reliqui ſuperius a nobis notati: prius aqua abluantur ad ſordes tollendas, deinde cuticula exui debent, & in partes ſecari; hinc in aqua ebulliant per horae quadrantem; educantur, & moderata manuum preſſura aqua ab iis expellatur; praeterea vas terreum vitriatum interne, ſumatur, & hi Fungi in acetum immergantur, in quod per aliud horae quadrantem contineantur; educantur, & ſic madidi in illud vas terreum paratum reponantur, & condimenta, in ſuperiori coctione indicata, affundantur excoquanturque. Coctionem in aqua ebulliente probamus, quia per eam partes Fungorum volatiles diſpereunt; acida vel ſubacida commendamus, ut viſcidae, aut coriaceae Fungorum fibrae ad faciliorem in ſtomacho coctionem diſponantur; denique oleum in coctione adjungimus, partim ut cauſticorum ſalium Fungorum aculei illaqueentur, partim vero, ut Fungi caro majorem lubricitatem conſequatur.

Sunt etiam, quibus in deliciis eſt Fungos aſſos comedere: in quatuor autem partes pedunculum ad pileolum uſque ſecant, eoſque pipere, ſale, allio condiunt, & oleo aſpergunt, & ſupra craticulam eos excoquunt. Allio ſublato, ſubacidos, ſeu acidos ſuccos adderem, & oleo ſaepe, dum excoquuntur, eos aſpergerem. Hanc tamen excoquendi rationem ſuperioribus poſthabendam opinor.

Fungi aqua tantum loti, etiam cuticula exuti, dein in pultem ex farina, & aqua confictam involuti, & oleo fricti, peſſimi; niſi Fungi fuerint exſiccati, & minutim conciſi. Difficilis enim eorum coctio in ſtomacho, & oleoſae, & volatiles Fungi

 partes

partes in coctione non avolant, unde poſtquam Fungorum craſſiora ſegmenta a pulte in ſtomacho ſunt ſeparata, poſſunt mirum in modum exaltari. Denique nulla ratione probamus Coquos uti Fungis ad Offas, quas *Paſticci* vocant, condiendas, in quibus Butyrum, Caſeum parmenſe, & Aromata ingrediuntur; ſaepe enim accidit etiam Arimini, ut hujuſmodi cibis male convivae vexati ſint. Nam cum Butyrum, Caſeum, & Aromata, ut Merum ſileam, oleum valde inflammabile, & actuoſum contineant, mirum in modum poſſunt viſcera inflammare, ſuccum gaſtricum male afficere, ſanguinem accendere, cauſticaſque Fungorum particulas exagitare, atque dira illa ſymptomata producere, eo nimirum mechaniſmo, quo *majores Medici* norunt.

CAPUT V.

Quae medicina facienda ſit iis, qui a Fungis male vexati extiterint.

CAput hoc, quod utilitate ceteris praeſtare videtur duplici ratione a nobis pertractari nequit. Primo, quia in illa Medicinae parte, quae Therapeutica inſcribitur jejuni omnino ſumus. Secundo etiamſi in hac facultate medica excelleremus, mihi tamen, utpote Sacerdoti, vetitum eſſet medicinam, interioribus praeſertim morbis, praeſcribere. Attamen cum in animo ſit, huic etiam Lectorum noſtrorum ſtudio ſatisfacere, hic referam, quid ad me celebratiſſimus Praeceptor meus Plancus, de hac re ſcripſerat, dum Senis Primarius Anatomes Profeſſor Publicus eſſet.

JANUS PLANCUS JOANNI ANTONIO BATTARRAE S. D.

QUid agam, dicis jamdiu ignorare, Battarra amiciſſime? Senis modo ſum, qui per aeſtatem univerſam Florentiae fueram. Elapſo anno, & praeſenti Senis Anatomen publice, ut noſti, docui, & privatim ibi cum Franciſco Paſinio egregio Adoleſcente Ariminenſi, amico tuo, qui mecum eſt, ſtudia noſtra Linguae Graecae, Philoſophiae, & Botanices non praetermiſi, quae etiam cum aliis ſtudioſis Adoleſcentibus Senenſibus, & alienigenis communicavi. Florentiae deinde vacationum tempore per univerſam aeſtatem moratus ſum, quo tantum per aliquot dies veneram. Pollicitus enim mihi fuerat Joannes Targionus fore, ut ſequenti Septembri, & Octobri menſe ſecum eſſem in itinere Botanico per loca varia Etruriae. Verum circa tempus praefinitum ſenſim Targionus opinionem ſuam, neſcio quo conſilio, deſerere coepit, & loca illa ſolus contra ſpem mihi

datam

datam viſere velle, ut gloria forſan Inventorum, & Deſcriptionis Rerum, & Locorum ſibi ſoli relinqueretur. Dimiſi itaque Socium gloriolae cupidum, & ſibi ipſi non conſtantem, & Senas circa initium Octobris me contuli, ut ſequenti menſe ſtudiis publicis, & privatis, ut fert meum Inſtitutum, operam dem. Gaudeo, te modo Sabiniani eſſe, ut Philoſophiam publice doceas, quo in loco ſimul ſubciſivis horis Botanicam perſequi dicis, & Fungorum Hiſtoriam praeſertim colere, quae ſane, ut facis, ſollicita deſcriptione, & delineatione plus indiget, quam ceterae Plantae. Fungi enim, ſi cito non deſcribantur, pinganturque, brevi perit eorum notitia; citius enim fortaſſe putreſcunt, quam creſcant. Petis autem a me, quomodo te geras, ſi caſu accidat, ut ab eſu Fungorum laedaris, quum diſcrepantes videas, ut ais, Auctores Veteres, & Recentiores in curatione eorum, qui a Fungis male afficiuntur? Illi enim acidis aſperioribuſque remediis, hi vero Lacte, aut Oleo aegrotantes curare aggrediuntur. Si me audis, Battarra amiciſſime, ab eſu Fungorum omnino cave, *ſic enim Medicorum Veterum, & Recentiorum inconſtantiam non experieris, & tutus vives. Fungi enim, ut aliqui volunt, a Funere, quod in comedentibus inducunt, dicti ſunt. Pernicioſi interdum fiunt, vel qui ſaniſſimi, tutiſſimique judicantur, ut ſunt illi, qui* Prunuli, ſeu Pruneoli *dicuntur, quibus Magnatum Menſae, propter eorum ſaporem, & fragrantiam, ornantur. Scis enim eos Diarrhoeam, & Ventris tormina in generoſis quibuſdam Civibus noſtris excitaſſe, qui Offas quaſdam iis conditas comederant. Reliqui Fungi, vel qui optimi, & innocui cenſentur, interdum Suffocationes, Vomitiones, Cardialgiam, Choleram, & Diarrhoeas enormes producunt, & mortem ipſam. Verum ſi Tu, vel Amicus aliquis noſter a Fungis male afficiatur, quod Deus avertat, conſideranda in primis affectio eſt; nam ſi ea gravis ſit, nempe ſi Vomitus ſit enormis, ſi Cardialgia, ſi Strangulatio, ſi Diarrhoea, ſi Cholera, ſi Tormina ventris, haec Symptomata* Lacte, *vel* Oleo *cum Juſculis erunt lenienda, ut blande etiam materia venefica per os, & per inferiora eliminetur; Deinde rebus* Subacidis *viſcera erunt corroboranda, & tandem* Opiatis, *Theriaca praeſertim, dolores omnes ſedandi. Si autem Symptomata ſint levia, ſufficit cochlearia aliquot* Oxymellis, *vel melius* Syruppi Acetoſi *exhibere. Hoc enim ſolo, nempe Syruppo acetoſo, ſedari vidi effectus pravos, ſed non enormes, a Fungis excitatos. Acre enim quoddam virus, & viſcidum quid in venenatis Fungis dominatur, quae ab Aceto cum melle, vel ſaccharo commixto retunduntur. Haec ſentio pro curatione a veneno Fungorum. Tu interim me ama, & Vale.*

Senis prid. Id. Octobrias anno CIↃIↃCCXLII.

FUNGO

FUNGORUM HISTORIA

CLASSIS I. DE CORALLOIDIBUS.

CORALLOIDES *eſt Fungorum genus ita dictum, quod Corallorum ramos aemulatur. Ab hiſce Fungis exordimur, quia eſt unicum Fungorum genus, quod perfectis Plantis aſſimilari poſſit, eo quod radices, truncos, & ramos habeat; deinde quia in univerſa Fungorum familia nullum genus eſt, quod, quoad omnes ſui ſpecies, tuto comedi poſſit, ut Coralloides noſtrae; quidquid perperam J. Bau. III. 837, aliique inconſulto ſentiant*. Manine *apud nos appellantur; Id genus Fungi ſpecies ſunt:*

TAB. I. A & B. *Coralloides albida Tourn. J. R. H.* 564. Albida eſt, ſubſtantia carnoſa, magnitudine picturam aequante, ſapore, & odore fungoſo communi. Radix mucoſa, ſed fibrata. Pedunculus craſſus, & oblongus, plenus, modo ſingularis, modo caeſpitoſus. Ramuli rotundi pleni, & ſubdiviſi. Autumnali tempore in Sylvis, & Stipulis legitur. *Eſculenta*.

TAB. I. C. Coralloides amethyſtina Nobis. Quae, & *Coralloides dilute purpuraſcens Tou. J. R. H.* 564. Radicem habet mucoſam. Acaulis eſt, ſed tota ex ramuſculis corniculatis, & complanatis componitur, carnoſis, & plenis. Initio albida, dein amethyſtinum colorem induit. Autumnali tempore oritur iiſdem, quibus ſuperior, locis, vulgatior ceteris eſt. *Eſculenta*.

TAB. I. D. *Coralloides parva ramoſa lutea Tou. J. R. H.* 565. In ſylvoſis locis circa Verucchium legitur. Intrinſece alba, carnoſa, & plena, exſtrinſece lutea. Ramuli rotundi, breves, & in mucrones deſinentes; autumnalis. *Eſculenta*.

Coralloides flava Tou. J. R. H. 564. Ex radice mucoſis fibris compoſita ſurgit carnoſum corpus, plenum, pedunculi vices gerens, ad baſim anguſtius, ſurſum vero latius, quod in ramuſculos multiplices dividitur. Interne tota alba, & carnoſa eſt, externe ſordido, & diluto flavo inficitur. In Sylvis circa Verucchium. Hujus Icon apud eundem *Tournef. Tab.* 332. *& apud J. Bav III.* 837. proſtat. *Eſculenta*.

CLASSIS II. DE CLAVARIIS.

CLAVARIA *eſt Fungi genus, inquit Mich. H. P. G.* 208. carnoſum, non ramoſum Herculeam Clavam, quadantenus referens, interne plerumque farctum, raro cavum, externa ſuperficie laevi, ac ſeminibus minutiſſimis undique referta.

Nullo

Nullo Pileolo ſunt inſtrúctae, ſed aliae ſunt ſimplices, aliae vero caeſpitoſae. Clavariae *in Agro noſtro unicam ſpeciem novi*.

TAB. III. A. *Clavaria major alba Mich. N. P. G.* 208. Ex mucoris aggeſtu carnoſum corpus ſurgit, plenum, ſublaeve, in omnibus Fungum ſapiens, interne album, externe albidum minoris digiti craſſitie, ſurſum extuberans. Hanc primo Bernardinus Brunellius hujuſce Publicae Bibliothecae Praefectus, vir doctus, ſummaque Prudentia ornatus, inter venandum in Sylvis Majani autumno invenit, atque ad me humaniſſime detulit. *Eſculenta*.

CLASSIS III. DE BOLETIS.

BOLETI *nomine illud omne ex Fungorum familia intelligimus, quod vel ſcrobiculis eſt excavatum, aut, ut ait Tournefortius*, feneſtratum; *ſive etiam, ut nobis placet, quod Pileolum eleganter complicatum habet, ſeu Calyciformem, non ſulcatum, ne cum lamellatis Fungis confundatur, neque inferne tubulatum, ne cum Porcinis numerari poſſit*. Boleti *ſic ſumpti vel ex* Volva *erumpunt, vel ea ſunt deſtituti. (Volva autem eſt membrana quaedam veluti coriacea globoſa, craſſa, in qua, ſicut Foetus in Utero, ſic Fungus dum adhuc immaturus eſt, continetur.) Id genus itaque Boleti ſunt*.

TAB. II. A. *Boletus Phalloides Tou. J. R. H.* 562. *Fungus foetidus Penis imaginem ref. C. B. P.* 374. Neque vulgaris hic, neque rarus eſt. A ruriculis *Uovo aſerbo* appellatur, quod, ut immaturus emergit, ovum gallinaceum aemulatur. Radicem habet caeſpitoſam, aut ſingularem, gallinae calamum aequantem, carnoſam, plenam & albidam, ut Volva, quae coriacea eſt. In maturitate Volva difrumpitur, & ſurgit pedunculus. A minutiſſimis foraminibus pervius, intus cavus, & albus. Superne habet Capitulum *c* quod tenuiſſima viridi, & pellucida membrana obducitur, in qua mucilago quaedam viraſcens continetur, ingratiſſimo ſcatens foetore. Poſt diem mucilago delabitur, & pileolus ſcrobiculatus, ut in D cernitur. Inter pedunculum, & Volvam mucilago quaedam eſt alba, ut ovi albumen. Ad C Pedunculus volva, & pileolo deſtitutus cernitur. Ad B ſectio perpendicularis Volvae oſtenditur, ut modus, quo in ea Boletus immaturus continetur, appareat. F eſt pedunculus *nn*, eſt pileolus, & mucilago ejus quae tunc dura eſt. *ee* alba mucilago.

TAB. II. E *Boletus cancellatus purpureus Tou. J. R. H.* 561. *Fungus Coralloides cancellatus Cluſii*. Qui minus apte a Fabio

Col.

Col. *Lupi crepitus* appellatur P. I. 336. Ex volva erumpit modo rotunda, modo pyriformi, albida ſemper, & coriacea, variis trapeziis confiċta, & per tendinoſam membranam conjunċtis. Rupta Volva elegans Boletus erumpit, totus *feneſtratus*, vividius rubrum corallum colore aemulans, & ſubſtantia pulpae Anguriae ſimilis. Funiculi, ex quibus totum corpus rubrum conſtat, in interiori facie, globulis mucilaginis vireſcentis materiei ſunt perfuſi. Ab ingrato foetentis ſepulcri odore Boleti nitor denigratur. Juxta Flumicini ripas circa Sabinianum Vere legitur.

Quam vis cum Phalloide multum convenire videatur, inertior tamen vel ſolo humido, & coelo pluvio germinat, nec unquam ad aliud ſolum deportatus immaturus, aut aqua immerſus aperitur, quod in Phalloidibus non accidit. Kal. Maji 1745. Sabiniani cum eſſem, ad Flumicini ripam, unum ex his Boletis, adhuc in volva latitantem excerpſi, & volva rejeċta, immaturi adhuc corporis cancellati perpendiculariter ſeċti, partem ſumpſi, & in vas vitreum poſui aqua ablutum; haec ſequenti die mirum in modum excrevit. In alio id genus Boleto expertus ſum, quod ſeċto ſeċtione obliqua, & in aqua una parte immerſa, nihil incrementi ſpatio 24. horarum ſuſceperat; ſuſcepit tamen ex aqua eduċta, & in vitreum vas locata. Spatio enim 20. hor. duplo major inventa eſt; pars vero, quae aquae non fuerat commiſſa, in vaſe vitreo triplo major effeċta eſt horar. 24. ſpatio. Sed ad Boletos volva deſtitutos deſcendamus.

TAB II. F. *Boletus eſculentus rugoſus fulvus T J. R. H* 561. Dodonaei & Imperati nomine apud nos *Spongiola* appellatur. In arvis, & agrorum limitibus, vere, & autumno creſcit. Adipoſa quaedam materies cum terra permixta, eſt pro radice. Pedunculus craſſus, brevis, cavus, albus. Pileolus continuus, atroflavus, & ſcrobiculis plenus, intus cavus. Subſtantia eſt veluti cerea. *Roccole* ab aliquibus appellatur. *Eſculentus*.

Boletus Eſculentus, Rugoſus, albicans, quaſi fuligine infeſtus Tou. ibid Superioris varietas.

TAB II. H. Boletus albus pileolo complicato nigro N. Cujus ſit exquiſita deſcriptio nomen, quod ei Mich. impoſuit, p. 204. nempe: *Fungoides fungiforme criſpum laciniatum, & varie complicatum, ſuperne ſubobſcurum, inferne ſimul cum fiſtuloſo pedunculo album.* Subſtantia cum ſuperiori convenit. Pedunculus externe albus, & laevis, interne cavus. *Eſculentus.*

TAB. II. G. Boletus pileolo ſpiralibus plicis contorto N. Quartum Fungoides fungiforme *Mich.* p. 204. Radicem habet, ut Spongiola. Pedunculus albus, cavus, & quaſi ex funiculis compoſitus.

poſitus. Pileolus rufus, & in plicas, in modum cochleae, contortus. Subſtantia veluti cerea. *Eſculentus*.

TAB. III. B. Boletus leucophaeus N. Tertium Fungoides fungif. *Mich*. p. 204. Ex adipoſa ſubſtantia, tenaciſſime cum terra permixta, quae eſt pro radice, ſurgit pedunculus albus, trifariam in longum diſtinctus, cujus ſingulae partes ex funiculis compoſitae videntur; modo ad baſim ventricoſus, modo non. Pileolus vel ex una lamina integra, & diverſo modo plicata, vel laciniata componitur. Totus eſt albus, ſubſtantia veluti cerea eſt. Autumno, & vere in Sylvis, & circa umbroſas ſepes proſtat. *Eſculentus*.

TAB. III. C. Boletus Calyciformis N. Supra folia querna ſubputrida, ſurgit in viarum limitibus pedunculus albus, cavus, ſtriatus. Pileolum calyciformem, fulvum habet. Subſtantia cum ſuperioribus congruit. Autumnalis eſt, ſed rarior. *Eſculentus*.

TAB. III. D. Boletus pileolo Monachi N. Ex adipoſa materia cum terra ſtricte permixta ſurgit pedunculus albus, laevis, rotundus, cavus. Pileolus membranaceus, fulvus, & glaber. Subſtantia cum ſuperioribus congruit. Autumno cum ceteris ad Flumicini ripas, & alibi proſtat. *Eſculentus*.

CLASSIS IV. DE FUNGIS MEMBRANACEIS.

FUNGOS MEMBRANACEOS illos appello, quorum corpus una membrana lata componitur, ſive plana ſit, ſive vario modo plicata, ut Auris humanae plicas aemuletur, ſive ad Cyathum &c. accedat. Quae membrana neque lamellata ſit in parte inferiori, neque tubulis patentioribus pervia, ne cum lamellatorum, atque porcinorum Fungorum pileolis confundatur.

TAB. III. E. Peziza fuſca N. Fabius Col. Plinii textu dicit, id genus Fungos *Pezizae* nomine a Graecis appellari, quod ſine pedunculo ſint. Illae tamen, quas idem Columna deſcribit, a noſtris differunt: illae intus albae, extrinſecus purpuraſcentes ſunt; At noſtrae, ex ſurculoſis, & tenuiſſimis radiculis ſurgit membrana carnoſa, lata, utrimque fuſca, glabra, vario modo plicata, ut interdum Juglandis corticem apertum, aut Cyathum, aut globum aemuletur. Generatim auris humanae plicas praeſefert. *Orecchielle* hic appellantur. Vere, & Autumno ſpeciatim ſupra fimum pullulant. *Eſculenta*.

TAB. III. F. *Fungus membranaceus auriculam ref. ſive ſambucinus* C. B. P. 372. *Auricula Judae* vulgo. Sambucorum truncis

 morienti-

morientibus plerumque proſtat, aurem humanam imitatur; ſubſtantia ſuperiori mollior, color cinereo-obſcurus. Magnitudo pollicaris eſt diametri; interdum ita luxuriantem reperi, ut lata fere bipalmaris eſſet. Eſculenta non eſt, ſed in uſum medicum venit, ut Cap. III. diximus.

Auricula Simii N. Fungus eſt membranaceus, ſuperiori valde ſimilis, ſed durior & coriaceus. Supra Ulmorum reciſorum ſectiones, adhuc in terra radicatas, creſcunt multiplices id genus Fungi, ſuperne nigricantes, & laeves, inferne cinerei, & hiſpidi, inſtar auris humanae plicati; in aeſtu areſcunt, poſt pluviam reviviſcunt.

TAB. III. G. *Ulva terreſtris tenerrima, viridis, criſpa. Raii Syn.* 64. 12. *&c. Linchia Mich.* In hac, fortaſſe propter earum tenuitatem, radiculas nunquam conſpexi. Ex una membrana conſtat in auris modum plicata, tenui, gelatinoſa, viridi, diaphana, & fugaci, poſt pluviam Vere conſpicua. In pratis plerumque.

TAB. III. H. Fungus numiſmatalis J. Planci. Cum anno 1744. menſe Octobri una cum V. Cl. Jano Planco in Monte Scutulo eſſem, apud amicum noſtrum F. M. Paſinium, modo virum ſpectabilem inter hujuſce Eccleſiae Canonicos; inter deambulandum ipſe Plancus in varios id genus Fungillos offendit, quos ſtatim largitus eſt mihi, una cum nomine. Pedunculo erant deſtituti; filamenta breviſſima, albida, pro radice habebant. Omnes fungilli plani, & rotundi, ſubſtantia firma, & carnoſa; ſuperne laeves, & intenſe coccinei, inferne dilutiores; a putredine immunes, quos per annos ſervavi.

Peziza crocea N. Ex capillaribus, firmiſque radiculis, ſurgit membrana carnoſa, utrimque glabra, & crocea, rotunda, & lata, ut ſuperior, inferius concava, ſuperius convexa. In Sylva FF. Min. Obſ. *vulgo delle Grazie*, ſub finem Novemb. Covignani id genus fungillos legi.

TAB. III. I. *Fungoides ſemine foetum Tou. J. R. H.* 560. *Fungi calyciformes ſeminiferi Mentz.* Infundibulum aemulantur, una conſtant membrana, coriacea, tomentoſa, & cinerea externe, interne glabra, argentei coloris. Velo albo ſubſtantiae veluti goſſypinae, ſuperius initio obducuntur, qui poſtea evaneſcit. Intus quatuor rotunda, & complanata corpuſcula geſtant, cinerea, & coriacea, in quorum medio filamentum extat rotundum, & exile, per quod ad fundum adnectuntur; ut in L cernitur, quod vitro eſt auctum. In I proſtant Fungilli magnitudine naturali. In K vitro auctus apparet. In M ſectio corpuſculi,

puſculi, vitro aucti, proſtat. Haec autem corpuſcula a Mentzellio ſemina reputantur: at Valiſnerius, Marſilius, Lanciſius, Amadeus, & ego aliter ſentimus, cum induſtria noſtra varie fatigata, fruſtra conſumpta ſit.

TAB. III. N O. *Peziza acetabuliformis coccinei intus coloris C. Giſſ.* 194. Hujuſce Fungilli nitor primus fuit, qui me ad legendos Fungos excitavit, quem mihi Bartholomaeus Borgheſius honeſtus, & prudens Civis Sabinianenſis obtulit. Hic ſupra quercus fruſtulum natus comperitur; tenuiſſimus, & albus mucor pro radice, pedunculus brevis, rotundus, & carnoſus; pileolus calyciformis, interne glaber, & ſplendente coccineo tinctus; externe tantillum tomentoſus, & diluti aurantii coloris; totuſque carnoſus.

CLASSIS V. DE FUNGIS PILEOLO SULCATO, EX VOLVA ERUMPENTIBUS.

I*D genus Fungi Volvam habent* A Tab. IV. *albidam, ſubſtantiae carnoſae, tenuis, ad mucorem accedentis, quae perpendiculariter ſecta* B, *quomodo immaturus Fungus in ea contineatur, oſtendit. Diſrupta Volva Fungus aſſurgit, & ſupra pedunculum pileolum explicat, ſuperne generatim convexum, inferne ſulcis, veluti radii circuli, a centro ad circumferentiam ducti, munitum, qui circa pileoli peripheriam duplicantur, & membrana alba fugaci obducuntur. In Pileolo eſt cutis, corpus carnoſum, & Sulci, triplici ideo ſubſtantia conſtat. In Pedunculo vero, cutis, corpus carnoſum, & medullare.*

TAB. IV. C. *Eluela Ciceronis. Volva Plinii. Boletus Anguillarae. Fungus planus orbicularis aureus C. B. P.* 371. Ex mucoſa, ſurculoſaque radice, membranacea, & lacera, Volva erigitur, qua aperta, ſurgit pedunculus craſſus, cylindricus, aequalis, externe villoſus, & coſtulis in longum ſtriatus, albo-luteus, carnoſus, medullari goſſypino corpore repletus. Pileolus ſuperne laevis, aurantii coloris; corpus carnoſum albo-flavum. Sulci crebri, vivide lutei; qui dum recens eſt Fungus, craſſa membrana, uti & ſubſequens, alba cinguntur; circa marginem pectinatus, quod ideo in variis Fungis evenit, quia inter ſulcorum extremitatem, & cutim, ad marginem nullum corpus carnoſum intercedit, & ideo cutis inter ſulcos ibi tantillum inſinuatur. *Ovoli roſſi* vulgo appellantur. Autumno in Sylvis noſtris Pedrolarae. *Eſculentus.*

TAB. IV. D. Leucomyces pectinatus N. ideſt Fungus albus,

 qui a

qui a Mich. N. P. G. 183. *Fungus leucophaeus margine pectina-to pedunculo cylindrico*, dicitur. Radicem volva habet, ut ſuperior; pedunculus craſſus, aequalis, palmaris, & bipalmaris etiam, cylindricus, externe villoſus, carnoſus, interne medullam goſſypinam habet. Pileolus craſſus, carnoſus, ſuperne laevis, & viſcido plerumque humore perfuſus, ad marginem pectinatus, oris intro recurvis; ſulci profundi, & crebri. In Sylvis, & agrorum limitibus opacis, autumno proſtat. Id genus Fungi *Farinacci* hic appellantur. Eſculentum dicunt.

Leucomyces pectinatus alter N. *ſeu Fungus eſculentus totus albus bulboſus, e volva erumpens pediculo annulato* 187 *Mich.* Ex ſimili volva ut in ſuperioribus ſurgit pedunculus ejuſdem ſubſtantiae ac ſuperiores, initio ventricoſus, ſurſum decreſcens; pileolus margine pectinato, & ſurſum elato; ſuperne cutis laevis, & ſublucida, Unionum colorem praeſeferens, uti & ſulci. Octobri in Silvulis noſtris, & agrorum limitibus invenitur.

TAB. VI. B. Leucomyces gemmatus N. Hunc Mich. N. P. G. Tab. 78. fig. 2. refert. Volvam habet tenuem, candidam, & laceram; radix, ut ſuperiores; pedunculus candidus ad baſim ventricoſus, ſurſum decreſcens, cujus cuticula tenuis, ut mucor, & lacera, carnoſus, firmus, medullam interne habens, ut ſuperiores; annulo fimbriato, tenui, cingitur. Pileolus pulvinatus, externe cutim habens cineream, lucidam, & laevem; monticulis variis trigonis, tetragonis, hexagonis, heptagoniſque albidis, eſt refertus, ut gemmis exornatus videatur. Interne carnoſus. Sulci crebri, candidi, & profundi. Circa marginem tantillum pectinatus. In ſepibus opacis, ubi quercus abundant, autumnali tempore circa Pedrolaram, & Sabinianum interdum legitur.

TAB. IV. E. F. Leucomyces minimus ſuperne fuſcus N. *Seu Fungus minimus ex volva erumpens damae fuſci coloris, & ſerici inſtar lucens, pileolo leviter faſtigiato pediculo cylindrico Mich.* 181. Hoc Mich. nomen una cum ſchemate a nobis expreſſo ſit ſufficiens Fungilli deſcriptio. Autumno opacis ſylvoſis locis colligitur.

TAB. VI. A. Leucomyces ſpecioſior N. Ex volva radicem, ut ſuperiores habente candidiſſimus hic Fungus ſurgit. Pedunculus uſque ad partem villis notatam ſub terra latitat, carnoſus, intus medullam habens. Superne annulo cingitur campaniformi, tenui. Pileolus obtuſe acuminatus, ſuperne laevis & viſcido humore perfuſus; ad marginem fimbriae inferius apparent, ex annuli fractione factae, in quo pileolus immaturus contineba-

continebatur. Sulci crebri, & profundi. Octobri in ſtipulis circa villam meam legitur.

TAB. V. A. B. Pſeudofarinaceus N. Hic a Buxbau Cent. IV. Raii nomine Suppl. Syn. 4. *Fungus major pediculo longo, modice craſſo, lamellis albis, creberrimis, ſuperne ad margines, apparentibus*, appellatur. Apud nos pedunculo magis luxuriat. Ex volva, ut in ſuperioribus eſt indicatum, erumpit Fungus ut in A. Pedunculus candidus, carnoſus, tantillum villoſus, aequalis interne medullari corpore repletus. Pileolus ſuperne laevis, & viſcidus, ſublucidus, coloris repurgati vitulini corii. Interdum veluti farina reſperſus cernitur; circa marginem pectinatus. Sulci crebri, & candidi. In Sylvulis noſtris circa Pedrolaram, & alibi autumno proſtat.

TAB. V. C. Pſeudofarinaceus Specioſior N. Subſtantia cum Superiori congruit. Pedunculus elaboratum cylindrum aemulatur, cuticola villoſa obducitur. Pileolus planus & rotundus, ſuperne cinereus, duas zonas concentricas in gyrum habens intenſioris cinerei, quae Iridis, ſeu Halonis ſpeciem praeſeferunt, laevis, ſublucidus, & viſcidus, ſuperne eſt. Reliquum autem fungi candidum eſt. Hic quoque interdum pulvere quodam veluti farina pileolum habet reſperſum. Fungus qui ad D. proſtat idem cum praecedenti; eſt enim varietas, eo quod arido loco natus, ut ſaepe obſervavi. Autumno cum ſuperiori invenitur.

CLASSIS VI. DE FUNGIS SINGULARIBUS ANNULO INSTRUCTIS.

FUNGOS *ſingulares annulo inſtructos, illos dicimus, qui cum aliis ejuſdem ſpeciei naſci non ſolent, veluti ex caeſpite, tanquam communi principio, prodeuntes. Hujuſmodi autem Fungi, non longe a Sulcorum exordio, annulum quendam ex tenui quadam veluti goſſypina ſubſtantia, conflatum geſtant.*

TAB. VII. A. *Fungus pileolo lato, & rotundo C. B P.* 370. *J. R. H.* 556. Notiſſimus eſt hic Fungus Botanicis, de quo I. B. III. 824. Lob. Ic. 271. Cluſii Hiſt. 268. Mich. Tab. 75. fig. 1. &c. Ex radiculis ſurculoſis, carnoſis, craſſis, & brevibus, ſurgit Pedunculus, brevis, carnoſus, & plenus, albus, & ſublaevis; circulo brevi, & fimbriato cingitur; ſulci creberrimi, profundi, primo roſei ſplendentis coloris, dein dum fatiſcunt nigricantes. Pileolus carnoſus, minorem ſphaerae ſectionem exhibens, ſuperne albicans, & totus nigris villis aſperſus. Ad C Superioris varietas.

In pratis

In pratis & apricis locis Autumno creſcit. *Eſculentus*.

Fungus pileolo lato, & rotundo, ſuperne laevis N. In omnibus cum Superiori convenit, excepto quod pileolus ſuperne ſit albo-laevis, nullis nigricantibus villis aſperſus. Superioris varietas non eſt, ut in adultis, & in naſcentibus, cum ſuperiori comparatis, certior ſum factus. Hunc ſpecie a ſuperiori diverſum etiam S. Dale Raii Syn. pag. 3. agnovit, quem *Fungum minorem pileolo lato, ſuperne candido, lamellis ſubtus creberrimis, pallide rubentibus, ſeu incarnati, ut vocant coloris*, appellat. *Eſculentus*.

TAB. VII. B. Calantica albida radice retiformi N. In tophaceis viarum limitibus Covignani hanc fungi ſpeciem ſemel inveni. Ex radice carnoſa, ſurculis rotundis, & retiformibus inſtructa, albida, ſurgit pedunculus albidus, plenus, & carnoſus, annulo craſſo brevi, & fimbriato cinctus. Pileolus ad centrum mammoſus, ad marginem luxurians. Sulci albidi & ſpiſſi. Radix variis bulbulis inſtructa. Septembri inveni.

TAB. X. A. Maſtocephalus N. Scilicet Fungus *capite mammam* referens. In luco FF. Min. Obſerv. Covignani hunc fungum inveni. Pro radice mucor; Pedunculus bulboſus ad baſim, dein ſurſum decreſcens ita, ut vix pileolum fulcire queat; albidus, & coriaceus, qui flecti, non autem frangi facile patitur. Craſſo annulo cingitur. Pileolus mammam refert, inferne ſulcis crebris, & albis munitur. Superne albidus, cutis coriacea, cinereis papillis aſperſa. Flaceſcit, ſed nunquam putreſcit. Verno tempore extat.

Maſtocephalus alter N. Eodem luco, ſub finem Novembris Fungos ſuperiori ſimiles inveni. Pedunculus ex filamentis candidis ſurgebat, externe candidus ſtuppoſus & rigidus, intus medulla veluti ex ſericeis, longis, & tenuiſſimis filis conflata repletus. Annulus craſſus, pedunculo male adhaerens. Pileolus candidus, & expanſus, ſuperne cuticula ferruginea, laciniata, ad marginem fere protracta, obſitus, cutis vero lactea.

TAB. X. B. Fungus albidus ſulcis ſubrufis N. Supra quercina folia ſubputrida in locis humidis, & opacis, veluti ex mucore ſurgit pedunculus rotundus, albidus, exilis, rigidus, & plenus. Annulus criſpatus. Pileolus ſuperne albidus, cuti exili, coriacea, obductus. Sulci inferne crebri, & ſubrufi. Circa Sabinianum Octobri.

TAB. X. C. Leucomyces pileolo deorſum luxuriante N. Ex mucoris acervo ſurgit pedunculus albus, rotundus, exilior, plenus, carnoſus, & laevis. Annulus circa ſulcorum exordium.

Pileolus

Pileolus ſulcis albis munitus, ſuperne cuti coriacea, alba obdu-ctus, qui deorſum ita expanditur, ut cum eodem annulo nunquam marginem conjunctum habuiſſe diceres. Autumnali tempore in Sepibus circa Pedrolaram.

TAB X. F. Hyſtero-ſphaerocephalos N. In Aurantiorum vaſis, interdum ſupra fimum ex uvarum expreſſis racemis, aciniſque paratum ſolitarios hos fungos legi. Pedunculus ex mucoris acervo ſurgit, albidus, plenus, rotundus, carnoſus, annuloque inſtructus. Pileolus ſuperne atrocinereus, & globoſus, qui interdum in varias accidentales plicas convolvitur, picturae perſimiles; inferne rarioribus ſulcis munitur. Autumno Sabiniani inveni.

TAB. VIII. A. Fungus vagus vulgatiſſimus N. *VI. Gen. Fungorum eſcul. Cluſii*. Ad arbores naſcitur. Pedunculus ex mucoris acervo fere ſemper horizontalis ſurgit, albidus, rotundus, & plenus; annulo cingitur modo craſſo, modo tenui; ſulci interdum albidi, interdum etiam dilutiſſime rufi, crebri, & profundi, qui pedunculum non tangunt. Pileolus ſuperne albidus, ut Charta pergamena, laevis. Brevi vermibus ſcatet, & putreſcit. Vagum appellamus, quia nulla alia Fungorum ſpecies eſt, quae ad tot diverſas plantas adnaſcatur, quam haec; nam Sambucis, Ulmis, Salicibus, Populis, Moris, aliiſque ſexcentis & vivis & mortuis adnaſcitur, & Solitaria, & cum aliis ſimul contiguis. Vere & autumno ubique proſtat, & minime eſculenta. Ad B. ejuſdem varietas.

TAB. VIII. C. Fungus vagus alter N. In omnibus cum Superiori congruit, excepto quod annulum fugacem habeat, & ſulci a pedunculo exordiantur, ita ut pileolum tanquam conum apice inverſum conſtituant. Si ad mortuas aridaſque Populos albas pullulet candidiſſimus eſt, ut ad D & E.

TAB. IX. D. Fungus carnoſus pileolo elato N. Ex mucoris acervo ſupra ſectas arbores ſurgit pedunculus externe ſordide rufus, rigidus, ſtriatus in longum, intús carnoſus, albus, & plenus. Annulus mediocris. Pileolus pedunculo tenaciſſime adhaeret; ſulci deorſum falcati, ſubrufi, & crebri; ſuperne rufus, & cutis ad repurgatum corium in parte tomentoſa accedit. Sapor initio nullus, dein auſterus. Autumnalis eſt, & circa Sabinianum invenitur.

TAB. VII. G. Maſtoleucomyces N. Fungus eſt parvus, totus carnoſus, plenus, & candidus. Mucorem pro radice habet; & pileolum ſuperne mammoſum. Autumnalis.

TAB. XXVII. I. K. Fungus pedunculo inoculato N. In ſtipulis circa Pedrolaram autumnali tempore ex radice propria ſurgit pedun-

git pedunculus carnoſus, rigidus, cavus & albidus. Hic fimbriatum habet annulum, ex eadem materia, ac pedunculus; deinde ejuſdem ſubſtantiae pedunculus proſequitur, ſed exilior, itaut inoculatus appareat. Pileolus forma ludit, plenus, carnoſus, ſuperne mellei coloris, ſublucidus, & viſcido humore perfuſus. Sulci crebri, profundi, & albido-ſordidi.

CLASSIS VII. DE FUNGIS SOLITARIIS VELUM SULCOS OBTEGENS PRO ANNULO HABENTIBUS.

Velum hoc interdum eſt membrana tenuis, goſſypina, candida, a pileoli margine ad pedunculum horizontaliter tenſa, ad ſulcos tegendos deſtinata; aut ex filamentis ejuſdem ſubſtantiae, inſtar aranearum texturae, coaleſcens, quae ſemper brevi evaneſcit, & ad ſummum circa marginem reliquiae apparent, eo quod inferne denticulatum, ſeu fimbriatum eum relinquunt.

TAB. VII. D. Leucoſphaerocephalus N. Ex mucoris acervo ſurgit pedunculus ventricoſus, carnoſus, plenus, & laevis. Pileolus carnoſus, ſuperne laevis. Sulci crebri, nec multum profundi. Pileolus globoſus, qui raro, quantum ſchema refert, extenditur; quare membrana, ſeu velum, quo ſulci clauduntur, eſt parum extenſum; ideoque dum aperitur ſcinditur, & pars pedunculo, pars vero margini adhaeret. Totus lacteus eſt. Autumnalis, non longe a S. Joannis in Compito Primaria Sabinianenſium Eccleſia. *Eſculentus.*

TAB. VIII. GG. Leucomyces reniformis N. Figura conſtanti ſaepe hic Fungus circa Sabinianum ſe ſe offert. Ex mucoris acervo circa Ulmos ſurgit pedunculus brevis, craſſus, carnoſus, & plenus. Pileolus ſuperne laevis, ſulcis munitus. Totus candidus eſt. Vernus, & autumnalis.

TAB. VIII. F. Sphaerocephalus rufus N. Ex mucoris acervo in laceros ſurculos diſtinctos ſurgit pedunculus carnoſus, plenus, & interne candidus, externe rufus & molli cuticula tectus. Pileolus globoſus, qui ad hoc ut ita aperiatur, quantum ſchema indicat, ſcindatur neceſſe eſt; corpus carnoſum valde compactum habet, quod candidum eſt, rigidamque habet & non laevem cutim. Sulci crebri, & candidi. A Mich. pag. 179. Fungus pulvinato pileolo caſtanei coloris inferne &c. appellatur. Saepe in arido ſolo naſcitur, & A Tab. XXI. figuram aemulatur. *Eſculentus.*

TAB. VII. E. Chamaemyces odoratus N. Ad Aceris minoris exſiccati

exſiccati truncum duos hoſce Fungillos albos inveni contiguos, carnoſos, plenos, ſulcatos, ſuperne laeves, gravem funginum odorem emittentes. Alius pro annulo velum, alius velum pro annulo geſtabat. Aut unica generis varietas, aut genere diſ-ferunt.

TAB. VII. F. Galericulus Monachi N. Interdum caeſpitoſum inveni hunc Fungum, ſed quia plerumque ſolitarium legi, ideo ad hanc Claſſem retuli. In arvis inter virentes Fabas caeſpitoſus, ſolitarius in agrorum limitibus circa Sabinianum Vere proſtat. Pedunculus ex radice alba, brevi, ſurculoſa, & tenui ſurgit, albus laevis, carnoſus, & cavus. Pileolus ſuperne laevis, & viſcidus, albidus ut chartam pergamenam aemuletur. Sulci crebri & albidi.

TAB. XX. C. Fungus margine fimbriato N. Interdum ex ſurculoſa alba radice, & carnoſa, interdum ex mucoris membranis, verno praeſertim tempore ſurgit pedunculus, albus, carnoſus, tantillum cavus, ſublaevis. Pileolus pulvinatus, cuti coriacea, albida, & laevi obductus; ſulci crebri, profundi, & ſubrufi. Dum pileolus expanditur velum ſulcos obtegens laceratur, & margini adhaeret, quem fimbriatum conſtituit.

TAB. XXIII. E. Gomphos atrorufus N. Ex mucoris acervo ſurgit pedunculus oblongus rigidus, cavus, externe ſubrufus tantillum villoſus, in fibras longitudinales facile ſcinditur; pileolus ſuperne atrorufus, vix carnoſus, pannum aemulatur. Sulci nigricantes, qui pedunculum non tangunt. Pro velo fila quaedam habet implicata ut aranea. Autumnali tempore circa Covignanum proſtat.

CLASSIS VIII. DE POLYMYCETIBUS, SEU FUNGIS MULTIPLICIBUS ANNULO DONATIS.

ID genus Fungi caeſpitoſi vocantur ab aliis, eo quod ex communi principio varii pedunculi exurgant. Hi duplicis ſunt naturae, alii ſunt annulo inſtructi, de quibus modo, alii ſunt eo deſtituti, de quibus ſuo loco dicemus. Hi Fungi Famigliuole *a ruriculis nuncupantur.*

TAB. X. D. Polymyces pileolo ragadiis vitiato N. Vulgatiſſima haec Fungorum ſpecies eſt circa Sabinianum, & ad Flumicini Ripas, tum Vere, tum Autumno, ad Ulmos, ad Populos, ad Moros, Sambucos, paloſque in ſtagnis infixos &c. Ex mucoris acervo erumpunt pedunculi albidi, craſſi, breves, &

 pleni.

pleni. Annuli breves, & tenues. Sulci albidi, crebri, & profundi. Pileoli carnoſi, & candidi; ſuperior cutis firma, rigida, & laevis, quae in varias ſcinditur partes, ut ragadiis tota infecta appareat. In centro pileolorum cutis atroflava eſt; graveolentem funginum odorem ſpirant.

TAB. X. E. Polymyces tomentoſus rufus N. Ex mucoris acervo ſurgunt pedunculi ſubrufi, breves, craſſi, pleni, carnoſi, intus albi, annulo cincti. Pileoli latiores, inaequales, ſulcis crebris, & ſubrufis muniti; ſuperne villoſa, & rufa cuti obducti. Circa Sabinianum autumnali tempore legitur.

TAB. XI. A. Polymyces pedunculo ſpirali N. Duplo major pictura hic Fungus ſolet inveniri. Ex mucore ſurgunt pedunculi, veluti ex funiculis contortis, ſtriati, carnoſi, rigidi, pleni, flavo-rubro fatuo tincti, annulo brevi, & criſpato cincti. Pileoli cum pedunculis continui. Sulci ex pedunculis exoriuntur crebri, & flavicantes; cutis ſuperior pileolorum flavo-rubra, multis hirſutis cirris ſaturatioris coloris aſperſa. Ad mortuas arbores circa Sabinianum invenitur.

TAB. XI. B. Polymyces apicibus nigris N. Octuplo major, quam ſchema refert eſt interdum hic Fungus. Ex mucoris acervo ſurgunt pedunculi ventricoſi albo-foedo tincti, & maculis ſpadiceis perfuſi, ſublucidis, parum carnoſi, ſi in longum ſcindantur ſtuppoſi, intus tantillum cavi; annulo craſſo ſubflavo cincti. Sulci crebri, albo cinerei; ſuperne pileoli omnino non laeves, tribus ſe ſe invicem diluentibus coloribus tincti, circa apicem nigricant, dein ſubflavicant, denique albo-carneus color marginem ambit. Ad diverſas arbores, praeſertim ad Ulmos, autumnali tempore circa Sabinianum legitur, & eſculentum praedicant.

TAB. XI. C. Polymyces pedunculis rigidis N. Ex albi mucoris acervo ſurgunt pedunculi atro-flavi, corticem rigidum ita habentes, ut facile ſcindatur, & inferne, & ſuperne complicetur; interne carnoſus, & albidus, tantillum cavus. Annulus craſſus, qui rotulam refert. Sulci crebri, & ſubalbidi; pileolus ſuperne villoſa atro-flava cuticula obducitur. Hic quoque octuplo major ſchemate eſt, & ad eaſdem arbores, quo ſuperior extat. Circa Sabinianum colligitur, & eſculentum dicunt. At circa Ariminum multum forma ludit, ut pileoli ad palmarem magnitudinem, & ultra creſcant.

TAB. XI. D. Polymyces cinereus N. Pedunculi ex mucoris acervo pullulant rotundi, ſublucidi, ſublaeves; aequales, rigidi, carnoſi, ſubalbidi, tantillum cavi, ſtuppoſi, dum in

longum

longum ſcinduntur. Annulus ſingulorum raro pedunculum, & pileoli marginem dimittit. Pileoli cinerei, ſuperne villoſi, & acumine nigricant; inferne ſulci crebri, & ſubalbidi. Autumno ad eaſdem plantas ut ſuperiores colliguntur.

TAB. XI. E. Polymyces proboſcidem referens N. Ex mucoris acervo ſurgunt pedunculi ventricoſi, rotundi, laeves, ſubcarnei coloris, pleni, & carnoſi. Annulos valde exiguos habent candidos, pileolorum marginibus potius, quam pedunculis adhaerentes. Pileoli inferne albidis ſulcis muniti; ſuperne plumbei coloris ſunt, mollibus cirris ſcatent, & acumine nigricant. Anni tempus, & locus idem cum ſuperioribus.

TAB. XI. F. Polymyces croceus N. Quintuplo major pictura eſt Fungus. Pedunculi ex mucoris acervo ſurgunt craſſi, interdum ventricoſi, rotundi, carnoſi, pleni, externe flavicantes, quorum cuticula rigidior rimoſa evadit. Annuli albidi exigui ut in ſuperiori. Pileoli ſulcis brevibus, & albidis, muniti; ſuperne cutis in medio atro-crocea, dein ſaturate crocea, & cirris obſita. Circa Sabinianum autumnali tempore ad Moros praeſertim invenitur. Fungus, qui in hoc ſchemate ceteris ſupereminet, eſt imago aliorum hujuſce ſpeciei Fungorum, quos poſt annum, ad eandem arborem inveni. In reliquis deſcripto caeſpiti reſpondet.

TAB. VI. C. Polymyces melleus N. Ex mucoris acervo ſurgunt pedunculi magnitudine inconſtanti, a ſeſquipollicari uſque ad bilinearem diametro extenſa, pleni, carnoſi, rigidi, in longum tantillum ſtriati, flavicantes. Annuli plerumque campaniformes, pedunculo tenaciſſime adhaerentes, albidi. Pileoli ſuperne ſublucidi, & laeves, melleo colore perfuſi, viſcidoque humore infecti. Sulci ſubalbidi, & crebri ſunt. Salicibus praeſertim adnaſcitur, & in viarum limitibus. Interdum, ſed raro, ſolitarius Autumno variis in locis proſtat. Eſculentum dicunt.

TAB. VI. D. Polymyces melleus alter N. Ad Ulmorum, & Populorum truncos autumnali tempore circa Sabinianum collegi. Ex mucoris acervo ſurgunt pedunculi ſtriati, ſubfulvi, rigidi, carnoſi, pleni. Annuli campaniformes, ut in ſuperiori, & albidi. Pileoli ſulcis albidis, & crebris muniti; ſuperne cutis eſt mellei coloris, & circa acumen ſaturatioris; tota tomentoſa, ut pannum aemuletur. Eſculentum dicunt.

TAB. VI. E. Polymyces vulgatior N. Ad ſectos Populorum, Quercuum, & Ulmorum truncos, in diverſis Agri noſtri locis, ex mucoris acervo ſurgunt pedunculi ſublucidi, albidi, ſpadiceis, ſed dilutiſſimis maculis, ut caulis Serpentariae, perfuſi,

fuſi, rigidi, qui facile in longum ſcinduntur, interne albi, & corpore tenui medullari repleti. Annuli campaniformes, & albi, pedunculo adhaerentes. Pileoli ſulcis ſubalbidis muniti; ſuperne villoſa, ſubruſa, cuticula obducuntur. Eſculentum dicunt.

CLASSIS IX. DE OMPHALOMYCETIBUS, SEU DE FUNGIS UMBILICATIS SINGULARIBUS.

Fungi umbilicati ſingulares illi ſunt, qui ſolitarii naſcuntur, quorum pileolus eſt ſulcatus, & ſuperne in centro depreſſus ut Cyathum, Tubam, aut Craterem aemuletur.

TAB. XII. A. Omphalomyces tubam referens N. Supra Populi putridum corticem circa Sabinianum quadruplo pictura majorem, hunc Fungum inveni. Ex tenuiſſimis mucoſis, & albis filamentis ſurgebat albus pedunculus, carnoſus, & plenus. Pileolus continuus, albus, & carnoſo coriaceus; ſulci crebri, & ſatis profundi. Superius membrana ſubflava nigris villis aſperſa, rigido-coriacea obductus. Alia fungoſa corpora circa eum aderant, quae proboſcidem aemulabantur. Omphalomyces, idem ac Fungus umbilicatus, ſignificat.

TAB XII. B. Omphalomyces pileolo plerumque truncato N. Fortaſſe quis ſuſpicari poterit hunc eſſe ſuperioris varietatem, quemadmodum, qui ad C. & D. hujuſce eſſe varietates cenſeo. Verum ille latior in baſi eſt, quam circa ſulcorum exordium, iſte vero pedunculo circa baſim valde exili conſtat; deinde iſte vix picturam magnitudine ſuperat, ille vero quadruplo major icone legitur. Ad palos itaque in ſtagnis, & fluminibus infixos inter rimas pullulat. Subſtantia, & forma cum ſuperiori congruit; quando pileolus luxuriat in parte, qua palum tangit, non creſcit, & obtruncatus apparet. Etiam in agrorum limitibus ad Mori radices hos Fungos inveni, B. magnitudinem non excedentes, & pileolus eſt ſemper integer.

Omphalomyces nigricans N. In omnibus cum ſuperiori congruit, excepto quod ſuperiorem pileoli cutim nigricantem habet, & villos ſaturatioris nigri. Ad eoſdem palos legitur.

TAB. XII. E. Omphalomyces albidus N. In agrorum limitibus ex mucoris acervo ſurgit pedunculus brevis, plenus initio, dein cavus, carnoſus. Sulci candidi, & crebri. Pileolus carnoſus, ſuperne cuti obductus chartam pergamenam colore aemulans, uti & pedunculus.

TAB. XII. F. Omphalomyces margine coccineo N. Subſtantia

ſtantia convenit cum praecedenti. Pileolum ad marginem pectinatum habet, & zona ſanguinei coloris infectum. In pratis, & ſylvis noſtris vulgaris autumno eſt. *Eſculentus.*

TAB. XIII. C. Omphalomyces margine livido N. Radicem membranaceam mucoſam habet. Pedunculus albus, ut cereum, initio plenus, dein cavus, medullarem tenuem ſubſtantiam continet, craſſus, & brevis. Pileolus ſulcos habet crebros, & profundos unionum colores imitantes; ſuperne ſubcinereus, circa marginem lividus apparet. Autumnali tempore in agrorum limitibus, & Sylvis invenitur.

TAB. XIII. D. Omphalomyces circellatus acris N. Radicem, ut ſuperior habet; pedunculum ſordide cinereum, carnoſum; ſulci crebri, & ſatis profundi unionum colorem aemulantes. Superne pileolus cinereus, & variis concentricis ſaturatioris cinerei zonulis pictus. Totus albo, & acri lacte ſcatet. Autumno in Sylvula mea Pedrolarae proſtat.

TAB. XIII. E. Omphalomyces cinereus acris N. Tantum a ſuperiori differt quantum pictura oſtendit, in reliquis cum ſuperiori congruit. Illud notatum volo, quod valde imagine, & ſtructura ludunt hae duae Fungorum ſpecies.

TAB. XV. C. Omphalomyces margine pectinato N. Ex mucoris filamentis ſurgit pedunculus brevis, craſſus, carnoſus, albus, ut charta pergamena, intus medulla tenuis adeſt, & cavus tandem relinquitur. Pileolus in crateris modum; ſulci albi initio, dein flavicantes, profundi, & crebri; ſuperne laevis, & albidus; ad marginem pectinatus, & zona coccinei coloris infectus. In Sylvis autumno proſtat.

Omphalomyces ſordidus pectinatus N. Forma cum ſuperiori congruit; pedunculi, & ſulcorum color ſordidior; ſuperne totus ſubrufo ſordido tinctus, & pectinatus. In agrorum limitibus autumno proſtat.

Omphalomyces ſordidus alter N. Forma eadem eſt cum ſuperiori. Pileolum ſuperne foedo cinereo infectum geſtat, & ad marginem pectinatum. Eodem anni tempore, & loco ubi ſuperior proſtat. Hi tres vermibus cito ſcatent.

TAB. XV. E. Omphalomyces coccineus N. Ex mucoris filamentis ſurgit pedunculus albidus, ut charta pergamena, carnoſus, intus tenui medulla repletus, dein fere cavus; ſulci a pedunculo exordiuntur, albi, dein pedunculo concolores, crebri, & ſatis profundi. Corpus pileoli carnoſum candidum; ſuperne leviter umbilicatus, & ſublucidus, interdum totus coccineus, interdum in partem tantum. Interdum etiam tantillum pecti-

natus

natus ad marginem, interdum non. Hic a Mich. pag. 155. n. 7. *Fungus eſculentus pileolo ſupina parte ſaturo purpureo, prona vero, & pediculo albis*, dicitur. In Sylvis Autumno proſtat. *Eſculentus.*

TAB. XVI. H. Omphalomyces acris lateritii coloris N. Ex mucoris filamentis pedunculus ſurgit craſſus, brevis, carnoſus, plenus, externe diluti lateritii coloris. Sulci rari, & profundi vivacioris coloris lateritii. Superne pileolus laevis & pedunculo concolor. Totus Fungus lacteo ſucco acri ſcatet. In Sylvis Majani Autumno.

TAB. XVI. A. Omphalomyces acris ſcyphum referens N. Sulcos crebriores habet, & marginem pileoli intro flexum; in reliquis cum ſuperiori congruit, dempta figura.

TAB. XVI. F. Omphalomyces nanus, albidus N. Ex mucoris filamentis ſurgit totus carnoſus, plenus, & albidus. Superne laevis, & albo non lucido infectus. In Sylvis Majani Autumno.

TAB. XVI. G. Omphalomyces fuſcus N. Arimini *Cardarella noſtrana*. Ex mucoris filamentis pedunculus brevis, carnoſus, plenus, laevis, exurgit. Sulci crebri, & profundi. Cutis pileoli craſſa, quae facile educitur, atrorufa, & ſublucida. In reliquis Fungus candidus eſt. In paſcuis ad littus Adriatici autumnali tempore legitur, tam maturus, quam exſiccatus. *Eſculentus.*

TAB. XVII. A. Omphalomyces craſſus N. Totus intus exteriuſque lacteus eſt Fungus. Radicem candidam fimbriatam veluti ex mucore habet. Pedunculus carnoſus, & plenus initio, dein medullare corpus tenue, flavicans, & fugax oſtendit, & cavus tandem remanet. Sulci profundi & rari; ſuperne laevis, & ſublucidus; quadruplo major pictura. Autumnali tempore in Sylvis Majani. Eſculentum dicunt.

TAB. XVIII. G. Omphalomyces utrimque ſulcatus N. Ex mucoris filamentis albis pedunculus ſurgit, longus, plenus, dein tantillum cavus, carnoſus, rigidus, cujus fibrae longitudinales, dum in longum ſcinduntur, in fila quaedam, inſtar cannabis dividuntur. Sulci rari; in pileolo corpus carnoſum valde modicum eſt, quare ſuperior membrana pileoli, cum inter ſulcos inflectatur, utrimque ſulcatus Fungus apparet. Interne albidus eſt, externe lateritii, ſeu carnei coloris. Autumno proſtat in Foveis, humidiſque paſcuis. Monſtruoſus Fungus ad H, & qui ad I conſpicitur ead. Tab. ſunt ejuſdem varietates.

TAB. IX. E. Omphalomyces mutilatus N. Arimini *Cardarella*

rella bianca. Ex mucoris acervo ſurgit pedunculus albus, plenus, & laevis. Sulci profundi, & albidi; Pileolus in limbo, non in centro, cum pedunculo conjungitur. Revera umbilicatus modo non videtur; ſed ſi integer a natura produceretur vere *omphalomyces* eſſet. Superior pileoli cutis tota ſordide alba eſt. In arvis circa fl. Ariminum Autumno legitur. *Eſculentus*.

TAB. XIX. M. Omphalomyces parvus lacteus N. Ex mucoris filamentis ſurgit pedunculus laevis, carnoſus, plenus, dein cavus. Pileolus ſuperne laevis; ſulci crebri, profundi, & horizonti paralleli. Totus candidus eſt. In Sylvis Majani Octobri proſtat.

TAB. XIV. A. Alectorolophoides ſcrobicolatum N. Scilicet *Criſta galli*. Filamenta albida veluti ex mucore ſunt ei pro radice. Totus Fungus carnoſus, plenus, interne albidus externe dilute flavicans; ſuperne pedunculus varias coſtulas habet, ut ſcrobiculatus appareat. Reliqua ex ſchemate collige. Autumnali tempore in Sylvoſis locis reperitur. *Eſculentus*.

TAB. XIV. B. Alectorolophoides ſulcis criſpis N. Subſtantia, & color cum ſuperiori congruit, reliqua ex icone patent. *Fungus eſculentus, acris, colore vitellino, pileolo turbinato, oris expanſis, undulatis, ac pulchre laciniatis, lamellis, ſeu mavis coſtis criſpis, & veluti ramoſis Mich.* N. P. G. 144. *Eſculentus*.

TAB. XIV. C. Alectorolophoides coſtulis rectis N. Subſtantia, & colore cum ſuperioribus congruit. Sulcos habet rectos, & parum profundos, ſuperne laevis. Hic eſt, qui a J. B. III. 832. *Fungus luteus, ſeu pallidus*, Chantarelle *dictus, ſe contorquens*, dicitur. Autumnali tempore colligitur. Sunt, qui hunc *pernicioſum* ſcripſere. Verum etiam latrante ſtomacho eum comedi, atque ex eo pulmenta parantur, quae ſi aridis mortuorum oribus admoveantur, peream, ni reviviſcerent. *Eſculentus*.

CLASSIS X. DE POLYMYCETIBUS, SIVE FUNGIS MULTIPLICIBUS PILEOLO UMBILICATO.

ID genus Fungi, ex uno communi principio, plures pedunculos emittunt. Sulci a pedunculo exordiuntur, & per pileolum, in formam inverſi coni, expanduntur, qui pileolus ſuperne in medio eſt depreſſus, ut umbilicum aemuletur. Hi denique Fungi annulo ſunt deſtituti.

TAB. XIV. E. Polymyces phoſphorus N. Ex albo luteſcente laciniato mucore ſurgunt pedunculi varii, tubiformes, fibroſi,

carnoſi,

carnoſi, duri, & luteo-crocei externe, interne vero lutei, & tantillum cavi. Sulci crebri, & profundi. Pileolus ſuperne, croceo-coccineus, laevis, & lucidus eſt. Hic eſt qui a Cluſio ad ſpeciem 2. gen. 14. refertur; ſed Cluſiani colores in compa- ratione ſunt dilutiores. Octobri in Sylvis, & Agris noſtris le- gitur, ſed ſaepius ad Olearum radices. Indeficiens pulviſculus cinereus ex ſulcis id genus Fungorum manat. Ludit mirum in modum forma, ut ad A, & B Tab. XIII. conſpicitur. Raro ſolitarius; in ſulcis eſt elegans phoſphorus, ut ipſe in ſexcen- tis expertus ſum. *Eſculentus.*

TAB. XXIII. C. Polymyces umbilicatus rufus N. Ad ſe- ctarum quercuum truncos plerumque pullulat, tam in agro- rum limitibus, quam in Sylvis. Ex albido mucore ſurgunt pedunculi, quorum pars corticalis ex rigidis fibris conſtat, ſub- rufis; medullaris tenuis eſt, & ſubalbida. Pileoli profundis, craſſis, & rufis ſulcis muniti; corpus carnoſum albidum, & modicum; cutis ſuperior villoſa, ut pannum, & atrorufa, quae etiam inter ſulcos inſinuatur, & utrimque ſulcatus apparet Fungus. Auſterus ſapore eſt.

TAB. XIV. D. Polymyces aſcalus N. Ideſt Fungus multi- plex pedunculo deſtitutus. Haec Fungi ſpecies horizontaliter, ad aridos Populi truncos pullulat, ſine pedunculo, & nihil aliud eſt niſi variarum pileatorum Fungorum portionum aggregatus; quae portiones modo duae, modo plures in unum exeunt. In hoc ſchemate variae circa Populi aridae truncum accurrebant, ita diſpoſitae, ut roſam imitarentur, cujus magnitudo pedem pariſienſem in latitudinem, & altitudinem aequabat. Ad Flu- micini Ripas autumnali tempore non infrequens, ſed non ita ſpecioſus. Quaelibet id genus Fungi pars carnoſa, & mollis; ſulci profundi, & rari, unionum colorem imitantes, corpus carnoſum albidum, & mediocre; ſuperne cutis cinerea eſt, & laevis. Pulviſculus indeficiens ex ſulcis labitur, & Fun- gini graveolet.

CLASSIS XI. DE MONOMYCETIBUS, SEU FUNGIS SOLITARIIS SIMPLICIBUS.

FUngos ſolitarios ſimplices illos appello, qui cum aliis naſci non ſolent, qui praeterea pileolum ſulcatum, & non umbilicatum habent, ſed in medio aut acuminatum, aut tumentem, ſurſum, geſtant, quamvis interdum aliqui margine ludant; pedunculum quoque abſque annulo praeſeferunt.

TAB. XIII.

TAB. XIII. F. Monomyces pileolo elato N. Ex tenuioribus candidis radicibus pedunculus albidus, carnoſus, tantillum cavus, pullulat. Pileolus ſulcos crebros, profundos, & albos habet; margo ſurſum luxuriat; ſuperne cuti flavicante, laevi, viſcida, & rigida, obducitur; in medio elevatus. Octobri in Arvis.

TAB. XV. A. Monomyces margine aureo N. Loco, tempore, radice, pedunculo, & ſubſtantia cum ſuperiori congruit. Pileolus ſulcos crebros habet, & albidos, marginem elevatum, & circa eum zona aurei coloris conſpicitur; totus cuti laevi, & ſublutea obducitur.

TAB. XV. B. Monomyces ſulcis nigerrimis N. Ad arborem Fici circa Sabinianum, autumnali tempore, varios id genus contiguos Fungos inveni. Pedunculus ex mucoris laceris membranulis candidis ſurgebat, rotundus, plenus, dein tantillum cavus, albo-cinereus, exilior ad baſim, quam circa ſulcos. Pileolus ſuperne convexus, cuti tomentoſa ſubrufa obductus, & circa medium nigricans. Sulci crebri, profundi, & nigerrimi.

TAB. XV. F. Monomyces flavo-rufus. N. Ex mucoris acervo ſurgit pedunculus carnoſus, albus, laevis, initio plenus, dein tantillum cavus. Pileolus hemiſphaericus, ſuperne cuti tomentoſa, ut pannum, flavo-rufa obductus; ſulci albidi initio, dein flavicantes, crebri, profundi, & horizonti paralleli. Autumnali tempore in luco FF. *delle Grazie* Covignani hunc reperi.

TAB. XVI. B. Monomyces piperatus tumidus N. In ſylvoſis locis autumnali tempore, ex laceris mucoris membranulis ſurgit pedunculus brevis, albidus, craſſus, carnoſus, & medullari tenui corpore repletus. Sulci horizonti paralleli, crebri, profundi, & albidi. Superne pileolus turgidus, & inaequalis, cuti laevi, & ſubcarnei coloris obducitur. Totus piperato lacteo ſucco ſcatet. Aliis *Amanitae piperatae* ſpecies.

TAB. XVI. D. Monomyces craſſus pileolo plano N. In ſylvoſis locis autumnali tempore, ex mucoris acervo ſurgit pedunculus craſſus, pollicari diametro, inaequalis, ut varicoſus appareat, fibrae ſuperficiales anfractuoſae, rigidae, foedo-albido tinctae; cavus, & flacida medulla albida repletus. Sulci deorſum arcuati, rufi, crebri, craſſi, & profundi. Corpus carnoſum albidum, ſuperne pileolus cuti ſubflava, & laevi obducitur.

TAB. XVI. E. Monomyces rufeſcens litoris Ariminenſis N. Totus pedunculus fere ſub arena latitat, ex mucoris acervo

 ſurgens,

ſurgens, carnoſus, cavus, externe foedo-albidus, ſublaevis, rigidus, ex fibris veluti ſericeis conſtans. Pileolus pedunculo tenaciſſime adhaeret, hemiſphaericus, cuti ſubrufa coriacea, & lucida obductus; ſulci rufi, crebri, & horizonti paralleli. Autumnali tempore circa Juncorum caeſpites in litore legitur.

Monomyces atrorufus lit. Ariminen. N. Pedunculus ſuperiori aequalis, dempto colore, qui albidus eſt. Pileolus acuminatus, ut C Tab. XVIII. cuti atrorufa rimoſa obducitur, laevi, & ſublucida; ſulci crebri, profundi, & candidi.

TAB. XVII. C. Monomyces jujubinus N. Ex conica, & carnoſa radice ſurgit pedunculus, tenui, lacera, & ſubrufa cuticula indutus; corticalis pars rigida, carnoſa, & albida; cavus eſt interne, & tenui medulla ſubrufa repletur. Pileolus tenaciſſime pedunculo adhaeret; ſulci profundi, & candidi; cutis ſuperior ſublucida, viſcido humore perfuſa, jujubini coloris. In Sylvis S. Hermetis autumno proſtat.

TAB. XVIII. A. Monomyces totus villoſus N. Ex mucoris filamentis pedunculus ſurgit oblongus, exilis, rigidus, cavus, externe villoſus, ſordide ſubluteſcens, interne albidus. Pileolus inferne crebris ſulcis, albofoedo tinctis munitus, ſuperne flavo-viridis eſt & totus villoſus. In agrorum limitibus ad quercus autumno legitur.

TAB. XVIII. B. Monomyces galericulo mammoſo N. Ex mucoris filamentis ſurgit pedunculus laevis, rigidus, cavus, interne albidus, externe ſordido, & fatuo colore infectus. Pileolus ſordido albido colore in ſulcis ſuis crebris, eſt; ſuperne, cuti rigida, ſqualide colorata, veluti ex diluto flavo-viride, incompto obducitur. Loco, & tempore cum ſuperiori convenit.

TAB. XVIII. C. Monomyces pileolo acuminato N. Ex ſimili, ut in ſuperiori, principio ſurgit pedunculus, longus, rigidus, tantillum cavus, & albidus, qui dum digitis premitur, & ſcinditur, in filamenta veluti ſericea dividitur, quemadmodum & ſuperior. Sulci albidi, crebri, & profundi; ſuperne pileolus rigidus, & in rimas, ut Ficus prae maturitate, ſcinditur, villoſus eſt, & foedo flavo-viride tinctus. Loco, & tempore, cum ſuperiori congruit.

Monomyces ſordidus jujubinus N. Figura eadem cum ſuperiore, ſed multo major. Pedunculus minorem digitum aequat, rigidus, lignoſo coriaceus, exterius interiuſque ſordidi, jujubini coloris, eſt intus tantillum cavus, fibrarum textura male cohaerens. Pileolus ambitu ellipticus eſt. Sulci rufi, craſſi, rariores, & profundi. Superne ſordidum jujubae colorem aemulatur;

latur; cuti rimoſa, ut ſuperior, obducitur. In agrorum limitibus circa Corianum autumno proſtat.

TAB. XVIII. F. Monomyces pileolo diſciſſo N. Circa quercus, Septembri ex mucoris membranulis ſurgit pedunculus ruſo viridis, rigidus, cavus. Pileolus ſulcos foedo-albidos habet, & crebros. Cutis pileoli villoſa, ſubruſa, atque omnium rigidiſſima, quod in cauſſa eſt, cur brevi in varias partes totus ſcindatur.

TAB. XIX. C. Monomyces hiſpidus N. In agrorum limitibus, ſylvoſiſque locis autumnali tempore hic Fungus ex mucoris membranulis oritur, qui & pileoli, & pedunculi forma multum ludit. Pedunculus rigidus totus, foedo-ſubruſo tinctus. Pileolus raros, profundos, & ſubruſos ſulcos habet; ſuperne totus hiſpidus, & fere ſulcatus, cutis ruſa, & rigida eſt, margo ſemper elatus, contuſus, & incomptus. Corpus carnoſum eſt fere inſenſibile.

TAB. XIX. E. Monomyces porrigine crocea N. Supra Rubi fruſtulum ex mucoris acervo pedunculus carnoſus, villoſus, tantillum cavus, exterius interiuſque flavicans ſurgebat. Pileolus ſulcis crebris, ſubluteis munitus; ſuperne ſaturo luteo infectus, & crocea porrigine aſperſus; corpus carnoſum luteum erat. Circa Covignanum, & S. Hermetis autumno in opacis agrorum limitibus proſtat.

TAB. XIX. G. Monomyces puſillus N. Coniformem radicem, mucoris ſurculis obſitam habet. Pedunculus carnoſus, durus, plenus, ventricoſus, rubro, veluti ex minio, tinctus. Pileolus acuminatus, oris intro recurvis; ſulci profundi, & ruſi; ſuperne cuti rubro-fuſca obducitur; corpus carnoſum nullum eſt. In ſylvis Covignani Autumno.

TAB. XIX. H. Monomyces platycephalus N. Totus candidus eſt Fungus, & duplo major pictura generatim inveniri ſolet. Ex mucoris membranis ſurgit pedunculus coriaceus externe, interne carnoſus, & plenus, dein cavus. Pileolus conum inverſum aemulatur, ſuperne planus, & laevis; ſulci rari, & profundi, a pedunculo exordium habentes. Circa Covignanum autumno legitur.

TAB. XIX. I. Monomyces oculatus N. Puſillus generatim eſt Fungus, ſed interdum octuplo major a me eſt repertus. Ex mucoris membranulis ſurgit totus carnoſus, plenus, lacteus, ſulcatus; ſuperne laevis, & viſcidus, & circa apicem leviter circellatus, ut oculi, ſeu *dentis Oratae* imaginem referat. In Sylvis Covignani autumno legitur, & in Sylvis Majani.

TAB. XIX. L. Monomyces maluvium referens N. Ex mucoris membranulis pedunculus rigidus ſurgit, qui in fila veluti ſericea, compreſſus, ſcinditur, cavus, & ſubalbidus; pileolo tenaciſſime adhaerens. Sulci profundi, crebri, & lutei; corpus carnoſum pileoli, fere nullum; cutis ſuperior ſordide ſublutea, & coriacea, & circa acumen villoſa. In Sylvis Majani, Autumno.

TAB. IX. A. Monomyces carnoſus craſſus N. Circa Sabinianum ſupra Ulmum, ut per literas mihi datas Petrus Monteſius Civis Sabinianenſis retulit, quondam Auditor noſter, nunc autem Amicus, a quo & ipſum Fungum autumnali tempore accepimus. Supra Ulmum, inquam, ex mucoris acervo pedunculus ſurgebat diametro trium pollicum pariſ. plenus, carnoſus, & albidus. Pileolus diametro pariſ. pedem ſuperabat; ſuperne albido-flavus, ſublucidus, laevis, & cuti ſubcoriacea obſitus; corpus carnoſum album, & firmum; ſulci rari, & profundi. Periculo ventris noſtri certiorem Amicum fecimus, Fungum eſſe *Eſculentum*.

TAB. IX. B. Monomyces ſordidus N. In luco FF. Minor. Obſervantiae Reformat. Villae Verucchii hic Fungus legitur. Ex laceris mucoris membranis candidis ſurgit pedunculus digiti craſſitie, ſordide cinereus, & ſquallidus, tantillum villoſus, rigidus, & cavus. Pileolus plenus, ſuperne mammoſus, ſublucidus, & ſublaevis; cutis villis aſperſa, ſed non erectis, cinereo, flavo, rufo, ſordide, & incompte permixtis tincta; ſulci falcati, ex pedunculo exordientes, & rufi. Autumnali tempore proſtat.

TAB. IX. C. Monomyces ventricoſus N. In Sylva, quam *Catlana* vocant circa Verucchium ad Orientem, autumno vulgaris eſt hic Fungus. Ex mucoris albi membranulis ſurgit ventricoſus pedunculus, cujus diameter ad tres pollices, in majoribus, uſque extenditur; externe ſordide albidus, tantillum rigidus, ex fibris in longum veluti ſericeis coaleſcens, intus albus, & tantillum cavus. Pileolus valde exiguus, ſuperne flavicans, inferne ſulci ſubrufi, & rariores.

TAB. XX. B. Monomyces puſillus rigidus N. Ex mucoris membranulis candidis, ſupra quercuum corticem, ſurgit pedunculus ventricoſus, cortice rigidus, qui dum matureſcit diſrumpitur, & in cirros convolvitur, ſordide ſubrufus, intus carnoſus albidus, & tantillum cavus. Pileolus ſuperne rufus, & ſublaevis, inferne raris ſulcis munitus. Autumno circa villam noſtram.

TAB. XX. G. Monomyces maluvium referens alter N. Ex mucoris

mucoris membranulis ſurgit pedunculus craſſus, carnoſus, plenus, ſtriatus, ſordide albus. Pileolus cuti coriacea, laevi, & flavo-viraſcente perfuſa obducitur; ſulci albidi, & crebri. Autumno circa villam meam proſtat.

TAB. XX. H. Monomyces exilis N. Ex mucoris acervo ſurgit pedunculus longus, exilis, rigidus, cavus, & medulla tenui albida repletus; externe villoſa cuticula lutea obductus. Pileolus ſuperne flavicans, villoſus, inferne ſulcis crebris, albidis munitus. Autumno circa Sabinianum.

TAB. XX. I. Monomyces albidus pileolo luxuriante N. Sive *Fungus albus, pernicioſus, inſtar Fungi lutei, Chanterelle dicti, ſe contorquens*. Buxb. Cent. 4. Tab. 32. *Totus* (inquit Buxbaum) *albicat, cum quadam admixta fuſcedine. Antiqui orae varie flectuntur, & ſurſum elevantur. Lamellae ſatis crebrae, circa pedunculum quaſi abſciſſae*. Totus carnoſus, & plenus eſt. Autumno in Villa Comitis Conſtantini Fantutii praeſtantiſſimi Equitis Ravennatis *Gualdo* dicta extra Sabinianum invenitur.

TAB. XX. L. Monomyces Nautae galerum aemulans N. Supra Cynorrhodi radicem ſurgebat pedunculus carnoſus, fuſcus. Pileolus ambitu elliptico, ſuperne cuti atro-viridi, & ſqualida obductus, rigida utpote tota fere rimoſa; ſulci crebri, profundi, & ſordide virides. In Foveis viarum circa Ariminum autumno proſtat.

TAB. XX. M. Monomyces pulvinatus lividus N. In agrorum limitibus autumnali tempore ex mucoris acervo ſurgit pedunculus brevis, craſſus, plenus, albicans, & carnoſus. Pileolus pulvinatus, albidus, lividis cinereo-viraſcentibus maculis perfuſus; ſulci crebri, albidi, & profundi.

TAB. XXI. B. Monomyces aureus pectiniformis N. Pedunculus ex mucore ſurgit ſtriatus, rigidus, cavus, & tenui albida medulla perfuſus, externe flavus, interne albidus. Pileolus ab infectis in partem comeſus, ſuperne cuti ſature aurea, laevis, & lucida obductus; circa marginem in plicas torquebatur, ut pectiniformem concham referret. Sulci albidi, & crebri. Semel hanc ſpeciem circa Sabinianum autumno inveni.

TAB. XXI. C. Monomyces leucophaeus cavus N. Ex mucoris membranulis, ſupra folia querna ſurgit pedunculus, cujus textura non eſt fibroſa, ſed ſubſtantia ceram candidam aemulatur; laevis, cavus, & inaequalis. Sulci rari, & diverſo modo, ac in aliis, ſunt diſpoſiti; ſiquidem alii a pedunculo exordiuntur, & ad ſummitatem illius, ubi cum pileolo conjungitur, deſinunt,

deſinunt, alii vero ubi illi deſinunt, incipiunt, & ad pileoli marginem, inter illos tranſeundo appellunt. Pileolus magnitudine, modo figuram aequat, modo quadruplo major; ſuperne cuti coriacea, laevi, lucida, & viſcida obducitur. Totus candidus, & autumno in Sylvis proſtat.

Monomyces leucophaeus cavus alter N. In omnibus cum ſuperiore congruit; ſed pileolum habet ſuperne planum, & ad marginem laciniatum. Sulci vero a pedunculo exordiuntur, & dum ad marginem accedunt in plures divaricantur, rari, & parum profundi ſunt.

TAB. XXI. T. Monomyces aromaticus N. Tenuiſſimus albus mucor pro radice; pedunculus ſublaevis, carnoſus, & tantillum cavus. Pileolus forma incomptus, ſublucidus, & laevis; ſulci profundi, & rari; totus ſubrufus, funginum aromatico permixtum ſpirabat odorem, & ſapor dulcis, & aromaticus. In terra ſterili, cretacea, ubi plantae circa non aderant. Multos id genus Fungos contiguos inveni prope montem *Taurum* ſupra praecipitem ripam rivi *Tems*.

TAB. XXI. F. Monomyces praealtus N. Ex membranarum mucoris acervo ſurgit pedunculus digiti craſſitie ſemipedalis; interdum ultra pollicarem diametrum, & ſeſquipedalem altitudinem habens, interdum ſurſum decreſcens, interdum aequalis; externe tantillum villoſus, totus albus, tantillum rigidus, carnoſus, & valde cavus, ſed goſſypina tenui medulla repletus. Pileolus pedunculo male adhaerens, quia corpus carnoſum ejuſdem pileoli eſt flaccidius, tres vel quatuor poll. habet diametro, interdum ſemipedalis. Superne laevis, & viſcidus, & prae maturitate margo ſurſum elevatur. Autumnali tempore non ſemel ſupra Sabinianum circa Caſtrum vetus hanc ſpeciem inveni.

TAB. XXII. E. Monomyces tricolor N. Ad ſubputridas ſylveſtrium praeſertim Prunorum radices in ſepibus, quamvis interdum etiam in quercetis circa Sabinianum, & alibi, ex albidi mucoris acervo ſurgit pedunculus ſubflavicans, rigidus, carnoſus, cavus, & lutea tenui medulla repletus. Sulci pileoli crebri, profundi, & ſordide virentes. Superne ſublaevis, ſublucidus, & tribus infectus coloribus; circa centrum fuliginoſus, dein in gyrum rufus, denique circa marginem luteus apparet; qui colores ubi ſe ſe invicem contingunt, ad invicem diluuntur.

TAB. IX. I. Monomyces pedunculo longiſſimo N. In Villa *Gaggio* appellata circa Sabinianum, ad quercus radices, autumno hunc Fungum inveni aliis contiguum picturam aequantibus.

tibus. Pedunculus ex mucore ſurgebat longiſſimus, rigidus, intus candidus, & plenus, externe ſericea veluti hirſutie, ut *Velutum*, rufa obſitus. Pileolus totus lacteus; ſulci rari, & profundi, ad pedunculum non protracti; ſuperne laevis, & ad marginem pectinatus; corpus carnoſum vix ſenſibile.

TAB. XV. D. Picromyces albidus N. Ideſt Fungus amarulentus, quia dum crudus manditur, amaricans eſt. Ex laceris, & ſurculoſis mucoris membranis candidis ſurgit pedunculus brevis, craſſus, carnoſus, plenus initio, dein candidam, & goſſypinam medullam praeſeferens, hinc cavus, & ventricoſus; corpus corticale, rigidum, villoſum, & ſubrufum. Pileolus plenus, carnoſus, pedunculo tenaciſſime adhaerens; ſuperne cuti albida, & laevi obducitur; mammoſus. Sulci recti horizonti paralleli, crebri, & ſubrufi. Autumnali tempore in Sylvis proſtat.

Picromyces pedunculo longiore N. In omnibus cum ſuperiori congruit, pedunculo excepto, qui longus; & exilis eſt. Pileolus hemiſphaericus. Fortaſſe ſuperioris. Haec & ſuperior ſpecies ad diverſas arbores pullulat, quercus, Populos &c. in Sylvis, & agrorum limitibus.

Picromyces peſſundatus N. Nullam certam conſtantemque habet formam, quare pingi poſſit; Tab. tamen XVI. ad B imago quaedam exhibetur illius. Ex laceris mucoris membranis ſurgit pedunculus craſſus, carnoſus, villoſus, albidus, rigidus, tenui medulla repletus, qui totus ſub terra latitat. Pileolus, qui ſolus ſupra terram apparet, ambitu ellipticus, cárnoſus, plenus, & ſic male efformatus, ut peſſundatus appareat; marginem introrſum recurvum habet, ſuperne laevis, & ſubcarnei coloris eſt; ejus diameter a pollicari uſque ad ſemipedalem fere longitudinem advertitur. Sulci ut in ſuperioribus. Ingens hujuſce Fungi copia autumno in Sylvis Majani proſtat.

TAB. VIII. H. Picromyces tunicatus N. Ad dejectam Populum albam ad Flumicini ripam autumno, hiſpidum hunc Fungum inveni. Pedunculus ex mucore albidus erumpebat, plenus, carnoſo-coriaceus. Pileolus hemiſphaericus, plenus, albidus, ſubcoriaceus; ſulci recti, crebri, albidi, & ſatis profundi. Totus Fungus ſtuppoſo, hiſpido, lacero, & albido integumento obductus. Hic caeſpitoſus etiam interdum reperitur, quod bis mihi accidit, ad aliam populum dejectam, ubi primo caeſpite avulſo, poſt menſem ibi alium copioſiorem inveni, tunica, & molliori, & tenuiori indutum.

TAB. XVI. C. Picromyces atrorufus N. In Sylvis *Majani* autumnali

autumnali tempore ex mucoris acervo ſurgit pedunculus atro-rufus, carnoſus, & cavus. Pileolus interdum figuram aequat, interdum quadruplo major, pulvinatus, cuti laevi, ſaturatiore atrorufo tincta, obductus. Sulci horizonti paralleli, crebri, profundi, & candidi.

TAB. XVII. B. Myomyces ſpurius N. Hic & ſequentes *Myomyces* a nobis appellantur, quia pileolum ſuperne murium colore infectum habent; ſpurius autem hic dicitur, quia colorem murinum cum luteo permixtum habet. Ex mucoris albi membranulis ſurgit pedunculus oblongus, craſſus, rigidus, cavus, & medulla goſſypina repletus; totus lacteus. Pileolus pedunculo male adhaeret; Sulci profundi, & candidi; Cutis ſuperior tantillum villoſa, & murino una cum luteo colore incompte permixtis, tincta. Forma pileoli inconſtans, ſed plerumque mutilatus. In Sylvis *Majani* autumno proſtat.

TAB. XVII. D. Myomyces pedunculo lemniſcato N. *Fungus ſuperficie murini coloris, lamellis albicantibus. Doody Syn. II. App.* 335. Loco, & tempore cum ſuperiori congruit. Ex mucoris membranis ſurgit pedunculus craſſus, oblongus, rigidus, lemniſcatis, ſeu criſpatis fibris externe compoſitus, cinereus, interne albus, & cavus, & tenui alba medulla repletus. Pileolus pedunculo valde adhaerens; ſulci albi, craſſi, crebri, & profundi. Cutis ſuperior firma, villoſa, ut repurgatum corium, ſature cinerea. Sapor farinaceus. Haec ſpecies pileolo ludit; ideo tria ſchemata adpoſui.

TAB. XIX. A. Myomyces ſulcis undulatis N. Ex tenuibus mucoris membranulis ſurgit pedunculus durus, carnoſus, albus, craſſus, cavus, & medulla tenui repletus, tantillum rigidus, pileolo tenaciſſime adhaerens. Pileolus ellipticus; ſulci primum albidi, dein ſurſum, verſus corpus carnoſum ſubrufi, omnes undulati, laciniati, profundi, & pedunculo continui; corpus carnoſum vix ſenſibile; ſuperne cutis lucida, ſature cinerea, rigida, & ut Fici cortex maturi rimoſa. Interdum in aliquibus color ſuperioris cutis ſubrufo-cinereus eſt. In Sylvis *Majani* autumno proſtat.

TAB. IX. H. Myomyces variegatus N. Ex mucoris membranulis ſurgit pedunculus oblongus, rigidus, atrorufus, fibris longitudinalibus ſericeis, albidus interne, & cavus, externe laevis. Pileolus ſuperne cinereus, cutis rigida, & villis ſaturatioris cinerei, ſeu murini aſperſa: ſulci albi, profundi, & crebri. Circa Sabinianum ad Flumicini ripas.

Myomyces craſſus humilis N. Pileolum habet mammoſum

ut B

ut B ead. Tab. Superne murini coloris, & cutim villoſam habet; corpus carnoſum murino dilutiore inficitur; ſulci albidi, crebri, & profundi, & a pedunculo non exordiuntur. Pedunculus craſſus, albidus, durus, cavus, totus fere ſub terra latitans. In luco FF. Min. Obſ. *delle Grazie* Covignani.

TAB. IX. G. Myomyces amethyſtinus N. In luco FF. Min. Obſ. Villae Verucchii hunc invenimus autumno. Ex mucoris membranulis ſurgit pedunculus brevis, & plenus. Pileolus ſulcos crebros habet. Superne cutis amethyſtini coloris eſt, totaque rimoſa veluti ragadiis diſrupta; in reliquis totus lacteus eſt.

TAB. XX. A. Myomyces phalliformis N. Ex mucoris membranulis ſurgit pedunculus longus, cujus pluſquam dimidium, inſtar radicis ſub terra latitat, albicans totum; villoſus, rigidus, cinereus, cavus tantillum in parte ſupra terram elevata. Pileolus ſuperne ſature cinereus, ſulcis albidis, & rarioribus inferne munitus. Autumnali tempore circa Eccleſiam S. Andreae in Beſanigo.

CLASSIS XII. DE POLYMYCETIBUS SIMPLICIBUS.

Nomine Polymycis ſimplicis, caeſpitoſos illos Fungos intelligo, qui ex uno principio pullulant, & pileolum umbilicatum non habent, ſed aut mammoſum, aut pulvinatum, quique pedunculum abſque annulo geſtant, nec ulla membrana communi ſulcos obtegunt.

TAB. XXII. A. Polymyces ſimplex venuſtus N. Ex mucoris membranulis ſurgunt pedunculi albidi, initio pleni, dein cavi, rigidi, ex fibris ſerici ad inſtar, compoſiti. Pileoli pedunculis valde adhaerentes; ſulci profundi, crebri, & albidi; ſuperne cuti ſublutea, glabra, & ſublucida obducuntur, quae concentricam luteam zonulam, dum matureſcunt, oſtentat. Supra Hederae corymboſae, & ſupra Nucis truncum natum hunc Fungum inveni, primum Sabiniani, dein Arimini autumnali tempore.

TAB. XXII. B. Polymyces ſimplex tomentoſus luteus N. Ex mucoris membranulis ſurgunt pedunculi exiles, modice cavi, luteſcentes. Pileoli pulvinati, ſulcis crebris, & albidis muniti; ſuperne cuti aequabili, tomento luteo aſperſa, quae pannum aemulatur. Ad Moros autumno circa Corianum invenitur.

TAB. XXII. C. Polymyces ſimplex melleus N. Ex albo mucore ſurgunt pedunculi exiles, coriacei, cavi, interne albidi,

fulvi vero externe. Pileoli pedunculis valde adhaerent; ſulci flavi, & crebri; ſuperne eorum cutis coriacea, tenax, laevis, lucida, viſcido humore perfuſa, & mellei coloris eſt. Vulgatiſſimus eſt hic Fungus iu Agro noſtro; proſtat enim Sambucis, Salicibus, fruſtulis in terra deliteſcentibus &c. autumnali tempore, hiberno vel gelidis diebus, verno tempore, aridis, incultis, apricibus, montuoſiſque locis, in hortis arenaceis ad littus Arimini &c. legitur.

TAB. XXII. D. Polymyces ſimplex tricolor N. Tria hujuſce Fungi hic ſchemata pinximus eo quod pileolo ſaepe ludat; modo enim pulvinatus eſt, ut ad D; modo mammoſus, ut ad G; modo extuberat, ut ad N. Sordidus aſpectu eſt Fungus. Autumno, & verno tempore in ſepibus, & ſylvoſis locis proſtat. Ex mucoris membranulis ſurgunt pedunculi exiles, longi, ſordide flavi, rigidi, & cavi. Pileoli ſulcos habent crebros, ſordide virides, a pedunculo remoti. Corpus carnoſum mediocre, & albidum; cutis ſublaevis, circa centrum atroflava, dein flava, & circa marginem lutea, qui colores ubi conjunguntur, ſe ſe invicem diluunt.

TAB. XXIII. A. Polymyces ſimplex rufus N. Ad ſepes circa Corianum ex mucoris membranulis ſurgunt pedunculi tubiformes, tantillum rigidi, qui fibras longitudinales ſericeas habent, cavi, intus albidi, externe rufi. Pileoli ſulcos colore carneos habent, crebros & profundos; ſuperne villoſi, ut pannum ſericum, quem *raſo* vocant, aemulentur, & rufi.

TAB. XXIII. B. Polymyces ſimplex luxurians N. In agrorum limitibus autumnali tempore circa quercus, ex mucoris membranis ſurgunt pedunculi gibbi, minoris circiter digiti craſſitiem aequantes, rigidi, ſubrufi, interne albidi, & albida medulla tenui repleti. Pileoli pedunculis tenaciſſime adhaerent, ſulci ex pedunculis exordiuntur, profundi, carnei coloris, & craſſi; cutis atrorufa, villoſa, ut repurgatum corium exhibeat; marginibus ſuis luxuriant, ut interdum fimbriatum craterem aemulentur. Sapor ingratus, & auſterus.

Polymyces ſimplex faſciatus N. Hic cum ſuperiore in omnibus congruit excepto, quod externe pedunculi ſint ſordide flavicantes; ſulci ſubluteo viraſcente ſordido, perfuſi; ſuperne cutis in pileolis eſt tantum villoſa circa medium, & zona lutea margines ſunt infecti. Fortaſſe ſuperioris varietas.

TAB. XXIII. D. Polymyces ſimplex ſqualidus N. Ex mucoris filamentis, & membranulis albidis ſurgunt pedunculi exiles, rigidi, cavi, & tenui albida medulla repleti, fatue lutei. Pileoli lati, rotundi,

tundi, mammoſi, & in centro tantillum cavi; villoſi ſuperne, ſqualido luteo tincti; circa marginem glabri, & zona ſaturatioris lutei infecti; ſulci luteo-viraſcentes, crebri, & a pedunculo non exordiuntur. In foveis circa Pedrolaram, & Corianum autumnali tempore legitur.

TAB. IX. F. Polymyces ſimplex phalliformis N. Circa Verucchium autumnali tempore, ex radice coriacea, innumeri pedunculi pullulant pariter coriacei, duobus exceptis, omnes aridi, propter ſucci nutrientis defectum, & vaſorum in reliquis obſtructiones. Majores pedunculi ſqualide albidi, pleni, & coriacei externe, interne vero carnoſo coriacei. Pileoli exigui, & rufi; ſulci crebri, & albidi. Hic diutius incorruptus ſervatur.

CLASSIS XIII. DE HYDROPHORIS, SEU DE FUNGIS MULTO HUMORE AQUEO SCATENTIBUS.

FUngos illos omnes pileolo ſulcato hac claſſe complectimur, qui tenuioris ſubſtantiae ſunt, in quibus humor aqueus prae ceteris abundat.

TAB. XVIII. D. Hydrophorus acumine villoſo nigro N. Ex mucoris albi ſurculis ſurgit pedunculus exilis, tenuis, cavus, albidus, & rigidus. Pileolus ſulcos habet crebros, & albidos; ſuperne mammoſus, albidus, circa centrum nigricans, & nigris villis circa apicem aſperſus. Autumnali tempore in locis aquoſis legitur.

TAB. XIX. B. Hydrophorus multicolor N. In hortorum limitibus ad littus noſtrum Adriatici autumno invenitur. Ex mucoris membranulis ſurgit pedunculus rigidus, tenuis, totus ex tenuiſſimis veluti ſericeis filis uvidis compoſitus, interne cavus, & luteus totus, externe ex luteo, atrorufo, & rubro incompte permixtis, infectus. Pileolus ſulcos profundos habet, qui in inferiori ſuperficie flavi ſunt, deinde ſurſum, ubi ad corpus carnoſum accedunt, rubent; cutis pileoli lucida, partim caſtaneae coloris, partim lutea, ut in pyris accidit.

TAB. XIX. D. Hydrophorus lucide luteus N. Ex mucoris membranulis candidis ſurgit pedunculus modo brevis, modo etiam quadruplo longior pictura; dum recens eſt, albidus, dein luteus, cavus, ſericoſus, pileolo tenaciſſime adhaerens. Pileolus ſulcos rariores habet, & ſubluteos; cutis laevis, lucida, & glutinoſo humore perfuſa. Autumno in Sylvis S. Hermetis, &

circa Montem Scutulum proſtat.

TAB. XIX. F. Hydrophorus amethyſtinus N. Ex mucoris filamentis ſurgit pedunculus tenuis, cavus, rigidus, ſericoſus, intus albidus, externe ſubamethyſtinus. Sulci amethyſtino rufo tincti, undulati; ſuperne cutis tantillum villoſa, ſature amethyſtina, a centro ad circumferentiam radiata, & fere ſulcata, eo quod corpus carnoſum vix ſenſibile. Autumno in luco *delle Grazie* invenitur.

TAB. XX. D E F. Hydrophorus pileolo luxuriante N. Ad aridas perticas circa Sabinianum ex mucoris membranis ſurgit pedunculus exilis, rigidus, ſericoſus, albidus, cavus; interdum infititius apparet, ut ad F. Pileolus dum Fungus incipit areſcere, vario modo convolvitur, in partem macula veluti fuliginoſa infectus apparet, ſuperne cutis coriacea, rigida, & albida. Sulci crebri, & albi. Autumnalis.

TAB. XXI. E. Hydrophorus pſittacoides N. Sive *Fungus parvus totus viridis, & ad aureum non nihil tendens, ac limacino glutine oblitus, pileolo extinctorii forma, pediculo fiſtuloſo Mich. p.* 150. Ex mucoris filamentis ſurgit pedunculus exilis, ſericoſus, & cavus. Pileolus raros ſulcos habet, primum lucide luteos, ſurſum vero, ubi cum corpore carnoſo, quod vix ſenſibile eſt, conjungitur, lucide virides; ſuperne cutis lucide viridis, & viſcido humore perfuſa; ſicuti viride etiam lucido pedunculus, intus exteriuſque inficitur. Autumno in Sylva *S. Laurentii in Monte*. Pſittacoidem ob colorum pſittaci ſimilitudinem eum appellavimus.

TAB. XXI. D. Hydrophorus ſordidus luxurians N. In horto cujuſdam Amici noſtri, Sabiniani cum eſſem, hunc Fungum inveni. Ex mucoris membranis candidis ſurgunt pedunculi rigidi, inaequales, externe ſordide albidi, interne albi, ſericoſi, & cavi. Pileoli per anoſthomoſim conjuncti, luxuriantes, ſordide cinerei, nec glabri; ſulci albidi, profundi, rariores, & craſſi. Quadruplo major pictura erat. Autumno legi.

TAB. XXV. A. Hydrophorus ſulcis amethyſtinis N. Ex mucoris membranulis albis ſurgit pedunculus, ſublaevis, rigidus, cavus, & albicans. Pileolus ſulcos habet a pedunculo remotos, amethyſtinos, crebros, & profundos; corpus carnoſum vix ſenſibile; cutis tota radiata, & albida. In arvis autumno circa Sabinianum.

TAB. XXV. B. Hydrophorus rufo-lividus N. Ex mucoris filamentis ſurgit pedunculus exilis, ſordide albidus, rigidus, ſericoſus, & cavus. Pileolus ſulcos habet ſubrufos, & crebros, & a pedun-

a pedunculo ſegregatos; ſuperne ſubſtantiam tenuem, flavo-rufam oſtentat, quae ubi digito tangitur, ibi macula livoris relinquitur. In agris circa Sabinianum autumno, vulgaris eſt.

TAB. XXV. C. D. Hydrophorus rarioribus ſulcis N. Ex mucoris filamentis ſurgit pedunculus exilis, laevis, albicans, cavus, rigidus, & ſericoſus. Pileolus ſulcos habet craſſos, raros, profundos, & albidos, atque ad marginem non replicatos; ſuperne cutis albo-pallida, & radiata, eo quod corpus carnoſum vix ſenſibile. Tempore, & loco cum ſuperiori congruit.

TAB. XXV. E. Hydrophorus cinereus N. Ex mucoris filamentis ſurgit pedunculus ſordide albidus, tenuis, laevis, rigidus, ſericoſus, & cavus. Pileolus ſulcos habet crebros, & ad pedunculum non protractos; ſuperne radiatus; corpus carnoſum vix ſenſibile. Intus & in cute totus cinereus eſt. Loco, & tempore cum ſuperiori congruit.

TAB. XXV. F. Hydrophorus caulem fatigans N. In luco *delle Grazie* ex mucoris candidi membranulis ſurgit pedunculus, reſpectu Pileoli ponderis, valde exilis, candidus, laevis, cavus, cujus textura non eſt fibroſa, ſed ceram imitatur. Pileolus rotundus, ſuperne fere planus; corpus carnoſum, & cutis, ex ſubſtantia tenui, uvida, gravi, atroruſa conſtant, quae ubi digito premitur, livoris maculas relinquit; Sulci candidi, profundi, rariores, & ad pedunculum non protracti. Pedunculus aegre pileolum ſuſtinet. Autumnalis.

TAB. XXV. G. Hydrophorus craſſus rufus N. Ad Populos autumnali praeſertim tempore circa Sabinianum, ex mucoris albidi membranis ſurgit pedunculus craſſus, brevis, cavus, & tenui albida, goſſypina materie repletus, rigidus, ſericoſus, ſtriatus in longum, & ſubrufus. Sulci pedunculo concolores, a quo exordiuntur, craſſi, rari, profundi, & undulati. Pileolus interne, & externe rufus, ſuperiori in omnibus ſimilis.

TAB. XXVI. A. Hydrophorus campaniformis N. In pratis aquoſis inter virentes herbas circa Sabinianum verno tempore, ex peculiari radice ſurgit pedunculus villoſus, rigidus, ſericoſus, albus, cavus, & tenui alba medulla initio repletus. Pileolus tenui cuti bullis aſperſa obducitur, albida; corpus carnoſum nullum; Sulci ita crebri, ut alius ab alio minime disjungatur; totus nigricante humore intrinſece ſcatet. Brevi poſtquam pullulaverit evaneſcit; incipit enim a margine & ſurſum verſus evaneſcit, donec pedunculum nudum relinquat, nec unquam ſulci, qui ſuperficiem phoeniceam, & planam interne conſtituunt, divaricantur.

TAB. XXVI.

TAB. XXVI. B. Hydrophorus comatus N. Ex propria radice ſurgit pedunculus craſſus, carnoſus, tantillum rigidus, cavus, medulla tenui repletus, & laevis externe. Pileolus campaniformis, externe villoſus, ut comam aemuletur; corpus carnoſum mediocre; ſulci crebri, profundi, & minime disjuncti, ut interiorem ſuperficiem aequabilem conſtituant. In humidis agrorum limitibus verno tempore praeſertim legitur; totus lacteus eſt.

TAB. XXVI. C. Hydrophorus clavam referens N. *Fungus albus ovum referens. Doody Raii Syn. met. p.* 5. Ex candidis mucoris membranulis ſurgit pedunculus villoſus, rigidus, cavus, & tenui medulla repletus. Pileolus ovo gallinaceo, magnitudine, & forma ſimilis, externe villoſus, & cirris ornatus; margo pileoli aut nihil, aut parum a pedunculo recedit; ſulci ut in ſuperiori; corpus carnoſum nullum eſt. Saepius autumno, quam vere in humidis locis germinat. Hic quoque in nigricantem humorem ſolvitur. Totus candidus eſt.

TAB. XXVI D. Hydrophorus oris laceris N. *XIV. Gen. Fungorum pernicioſorum ſp. III. Cluſ.* quam non niſi aridam, & putredini affinem obſervaſſe videtur. Ex mucoris albidi membranulis ſurgit pedunculus oblongus, rigidus, ſericoſus, albus, villoſus, cavus, & modica medulla perfuſus. Pileolus ſuperne villoſus, & ſubrufus; vix dilatato, oras laceras, ut ad E, exhibet; ſulcos creberrimos habet, ut ſuperiores, phoenicei coloris, qui nigerrimo ſcatent humore: corpus carnoſum nullum eſt. Ad F in ſtatu putrefactionis cernitur, ubi ſulci a margine ad centrum reſolvuntur, & totum pileoli corpus evaneſcit. Ad Flumicini ripas arenoſas verno, & autumnali tempore legitur, & alibi. Vernacula lingua *Piſcia cani* appellantur.

TAB. XXVII. F. Hydrophorus pedunculo viperino N. Ex mucoris filamentis ſurgit pedunculus exilis, rigidus, ſericoſus, & cavus; externe albidus, & ſpadiceis maculis aſperſus, ut ſerpentis cutem aemuletur. Pileolus ſulcos crebros habet, profundos, ſubrufos, & ad pedunculum uſque non protractos; ſuperne laevis, & rufus, extuberantiam in uno in medio inveni, ut marinam *Urticam*, ſeu *Podicem* repraeſentet, quae interne erat deorſum ſulcata. Autumno circa Sabinianum legi.

TAB. XXVII. G. Hydrophorus oris laceris alter N. Ne dicas hunc eſſe ſuperioris D. varietatem, quae ex Soli ſterilitate repeti commode poſſit; nam ſuperior in ſterili fere fluviorum arena germinat, hic vero circa putrida ligna, & in ſolo pingui pullulat. Ex mucoris albi filamentis, aut membranis ſurgunt

pedun-

pedunculi contigui innumeri, quorum quilibet exilis, albus, rigidus, & cavus. Pileolus externe rufus, circa apicem villoſus, fere utrimque ſulcatus, nec magis quam pictura refert, dilatari ſolet; corpus carnoſum nullum; ſulci creberrimi, primum albo-phoenicei, dein atro cinerei, denique nigri evadunt, & nigrum humorem exhibent. Hi quoque pari ratione, ut ſuperiores D. evaneſcunt. Autumno, verno, ac hyemali quoque tempore proſtant, & eodem *Piſcia cani* nomine a vulgo appellantur. In aridis locis, majores ſunt mole, ut ad H, & pileolum explicant, fere in planum, nec in tantam copiam aſſurgunt.

TAB. XXVII. M. Hydrophorus maluvium referens N. Ex mucoris membranulis ſurgit pedunculus exilis, laevis, albidus, ſericoſus, rigidus, & cavus. Pileolus ſuperne laevis, & albidus; ſulci crebri, & albidi; corpus carnoſum oppido paucum. Verno tempore circa Sabinianum proſtat.

TAB. XXVII. N. Hydrophorus maluvium referens alter N. Pedunculus cum ſuperiori congruit. Pileolus externe flavicat, laevis eſt, apicem nigricantem, & acutum habet, & circa eum villos rufos geſtat. Circa rus meum autumnali tempore, in humidis viarum marginibus, invenitur.

CLASSIS XIV. DE BULLIS.

Fungillos illos omnes hac claſſe complectimur, quorum ſubſtantia tenuis generatim eſt, ut in Hydrophoris, & quorum forma Bullas, ſeu clavulos illos aemulatur, quibus Currus, Subſellia, & alia id genus exornantur.

TAB. XXVII. A. Bulla margine denticulato N. Ex mucoris membranulis ſurgit pedunculus ſordide cinereus, laevis, rigidus, & cavus. Pileolus acuminatus, ſubrufus, margine denticulato; ſulci crebri, albidi, atque profundi. Autumno in locis humidis legitur.

TAB. XXVII. B. Bulla elegans utrimque ſulcata N. Ex tenui mucore ſurgit pedunculus exilis, rigidus, cavus, & albidus. Pileolus totus cinereus, utrimque ſulcatus, tenuis, in planum fere expanſus, & acuminatus. Autumno ad Flumicini ripas proſtat.

TAB. XXVII. C. Bulla caeſpitoſa utrimque ſulcata N. Aliquando totus albidus, aliquando totus cinereus eſt hic fungillus; ſubſtantia, loco, & tempore, cum ſuperiori congruit.

TAB. XXVII. D. Bulla utrimque ſulcata, diſco albido N.

Pedun-

Pedunculus cum ſuperiori congruit. Pileolus cinereus, utrimque ſulcatus. Sulci ad centrum non perveniendo, diſcum albidum relinquunt. In fimetis, ex uvae acinis paratis, autumno legi.

TAB. XXVII. E. Bulla campaniformis utrimque ſulcata N. Caeſpitoſa interdum creſcit; pedunculi, ut in ſuperioribus. Pileoli utrimque ſulcati, in centro tantillum umbilicati, nec plus aperiuntur, quam ſchema referat. Loco, & tempore cum ſuperiori congruit.

TAB. XXVII. L. Bulla ſtercoraria campaniformis N. Radix ex mucoris filamentis albis; pedunculus firmus, longus, exilis, cavus, rigidus, & foedo albo tinctus; pileolus campaniformis, cinereus, ſubvilloſus; ſulci crebri, ſordide cinerei. In fimetis.

TAB. XXVII. O. Bulla colore inconſtanti N. Ex mucoris filamentis ſurgit pedunculus firmus, carnoſus; & cavus. Pileolus pedunculo, a quo ſulci exordiuntur, fortiter adhaeret, ſuperne planus, & laevis; ſulci crebri. Totus initio albus, & carnoſus, dein flavicans, & coriaceus evadit. Autumno circa Covignanum.

TAB. XXVII. Q. Bulla pedunculo ligneo N. Ex mucore ſurgit pedunculus longus, exilis, nigricans, & ligneus. Pileolus membranaceus niveus, & utrimque ſulcatus. Circa Covignanum autumno legitur.

TAB. XXVII. R. Bulla pedunculo ligneo altera N. Pedunculus, ut in ſuperiori; pileolus niveus, ſuperne planus, & laevis, inferne raris plicis, in ſulcorum modum diſpoſitis, munitus. Loco & tempore cum ſuperiori congruit.

TAB. XXVIII. A. Bulla verecunda N. Ex mucore tenuis pedunculus ſurgit, albidus, rigidus, & cavus. Pileolus tenues, crebros, & ſubrufos ſulcos habet; ſuperne laevis, ſubrufus, & in centro circellatus, ut avis oculum aemuletur. Pileolum ſemper ita demiſſum habet, ſive recens, ſive maturus, ſive ſeneſcens ſit Fungus; quare *verecundam Bullam* appellavimus, quaſi eam puderet tecta, pileolum dilatando, oſtendere. Ad Flumicini ripas vulgatiſſimus Autumno, & Vere eſt.

TAB. XXVIII. B. Bulla oculata N. Pedunculus cum ſuperiori convenit, locus, & tempus. Pileolus totus rufus, utrimque ſulcatus, & circa centrum, ſuperius circellatus, ut avis oculus videatur.

TAB. XXVIII. C. Bulla pileolo pleno acuminato N. In herboſis Flumicini ripis, vere, & autumno ex mucore ſurgit pedunculus

dunculus tenuis, rigidus, cavus, & albo-fuſcus. Pileolus plenus, acuminatus, interne albidus, externe rufus, & laevis; ſulci crebri, profundi, & ſubrufi.

TAB. XXVIII. D. Bulla platicephala N. Ex lento mucore, ubi ſuperiores pullulant, ſurgit pedunculus gracilis, rigidus, cavus, & albidus. Pileolus ſuperne laevis, complanatus, circa centrum lividus, totus ſubrufus, oris intro reflexis; ſulci crebri, ſubrufi, & horizonti paralleli.

TAB. XXVIII. E. Bulla narciſſiformis nivea N. In luco *delle Grazie*, ex lento, candido mucore, elegantiſſimus hic fungillus oritur, totus niveus, cujus ſubſtantia tenuis eſt, & albam ceram aemulatur; pedunculus cavus; pileolus unica conſtat membrana; reliqua ex ſchemate innoteſcunt.

TAB. XXVIII. F. G. Bulla pileolo tomentoſo N. Ex albo, lentoque mucore ſurgit pedunculus ſordide albidus, tenuis, rigidus, & cavus. Pileolus ſulcos habet crebros, & ſubrufos, ſuperne rufus, & tomentoſus, ut corium repurgatum. Circa Sabinianum ad Flumicini ripas, vulgaris proſtat.

TAB. XXVIII. H. Bulla caule ſquamoſo N. Ad populos nigras circa Flumicini ripas, id genus fungillos verno tempore legi. Ex albo mucore pedunculus ſurgit rigidus, rufeſcentibus ſquamulis ornatur hiſpidis; Pileolus rigidior, ſuperne albicans, & villis viraſcentibus, & rufis permixtis ornatus; Sulci ſubrufi, & crebri ſunt.

TAB. XXVIII. I. Bulla pileolo extuberante N. Ex mucore ſurgit pedunculus albidus, gracilis, rigidus, & cavus. Pileolus ſuperne rufus, & laevis; ſulci albidi, & crebri. Vere, & Autumno circa Flumicini ripas.

TAB XXVIII. L. Bulla denticulata altera N. Ad *Cytiſi glabris fol. ſubrotun. pediculis breviſſimis C. B. P.* truncum ad Flumicini ripas verno tempore fungillum inveni. Pedunculus ex mucore ſurgebat, tenuis, exilis, rigidus, & cavus. Pileolus ſubſtantia tenuis, rufus, glaber, ad marginem denticulatus, inferne crebris, & albidis ſulcis munitus.

TAB. XXVIII. M. Bulla pileolo maculato N. Loco, & tempore cum ſuperioribus convenit. Ex mucoris membranulis ſurgit pedunculus tenuis, rigidus, cavus, & ſordide albidus. Pileolus ſuperne rufus, maculis ſaturatioris rufi aſperſus, ut enchymoſus appareat, inferne ſulcis craſſis, ad marginem multiplicatis, ſubrufis munitus.

TAB. XXVIII. N. Bulla denticulato margine elato N. Ex mucore ſurgit pedunculus tenuis, rigidus, cavus, & albidus. Pileolus ſuperne cinereus, & laevis; margo elatus, atque den-

ticulis inſtructus; ſulci crebri, & rufi. Ad Flumicini ripas verno tempore legitur.

TAB. XXVIII. K. Bulla rufa hiſpida N. Ex mucore ſurgit pedunculus externe rufus, intus albidus, ſericoſus, rigidus, & cavus. Pileolus pedunculo fortiter adhaerens, umbilicatus, hiſpidus, villoſus, & rufus; ſulci rufi, rari, & profundi. Autumno ad Flumicini ripas proſtat.

TAB. XXVIII. O. Bulla lateritia N. Totus lateritii coloris externe fungillus eſt. Ex mucoris filamentis candidis ſurgit pedunculus ventricoſus, carnoſus, tantillum rigidus, ſericoſus, & cavus. Pileolus ſuperne dilutior; in ſulcis qui rari ſunt, & inaequales, ſaturatior. In locis humidis autumno proſtat.

TAB. XXVIII. P. Bulla cernua extuberante pileolo N. In fimetis ex albo mucore ſurgit pedunculus tenax, exilis, rigidus, cavus, & albidus. Pileolus acuminatus, ſqualido cinereo infectus, cujus cuticula ſublaevis, & rigida, utpote variis rhagadibus affecta; ſulci crebri, & nigricantes. Vere, & Autumno proſtat.

TAB. XXVIII. Q. Bulla procera N. In herboſis, & opacis agrorum limitibus, ex mucoris filamentis ſurgit pedunculus exilis; procerus, ventricoſus, rigidus, & cavus. Pileolus exiguus, acuminatus, & ſublaevis; ſulci parvi, & rari. Totus tenuis eſt, atque cinereus.

TAB. XXVIII. R. Bulla ſtercoraria cernua N. Ex mucoris filamentis candidis ſurgit pedunculus ventricoſus, duriuſculus, ſordide albidus, & cavus. Pileolus hemiſphaericus, ſemper inclinatus, ſuperne ſordide albidus, & rhagadibus in cuticula aſperſus, circa marginem denticulatus; inferne ſulcos crebros, & ſaturati plumbei coloris habet. Verno tempore circa Rubiconem ad Aemiliam in pratis ſupra bubulum fimum proſtat.

TAB. XXVIII. S. Bulla ſtercoraria erecta N. In bubulo fimo, in pratis ex mucoris filamentis ſurgit pedunculus firmus, rigidus, albus, cavus, exilis, & oblongus. Pileolus quaſi globoſus, cuticula rhagadiis diſrupta, ſublaevis; ſulci crebri, & ſubrufo cinerei.

Haec & ſuperior Bulla, & quae ad lit. P, & I proſtant ſunt ex illis Fungillis, qui ſupra equinum fimum ſolent naſci; quare equini fimi tantummodo non ſunt, ſed in aliis etiam & fimis, & locis proveniunt; quinimo ex literis Baſſii noſtri III. non. Jun. anni 1751. ad me datis, accipio id genus fungillos ſupra Rhinocerotis fimum Bononiae obſervaſſe, ſub finem Auguſti ſuperioris anni, quando eo deportatus fuerat a quibuſdam circulatoribus, quo Italiam, & varias Europae partes peragrabant.

TAB. XXVIII. T. Bulla lateritia pileolo glandiformi N. Ex mucoris filamentis autumnali tempore humidis herboſiſque in locis ſurgit pedunculus carnoſus, rigidus, cavus, & externe raris, albis villis munitus. Pileolus pedunculo tenaciſſime adnexus,

xus, glandiformis, externe fere ſulcatus, nec laevis; ſulci rariores. Totus carnei, ſeu lateritii coloris eſt; at in ſulcis color eſt ſaturatior.

TAB. XXVIII. V. Bulla pileolo circellato N. Ex mucoris albi filamentis ſurgit pedunculus coriaceus, villoſus, albidus, interne ſericoſus, & cavus. Pileolus ſulcos habet albos, profundos, undulatos, & deorſum gibbos; ſuperne acumine fuſco donatur, cutis obſcure albida, tota villoſa, ut pannum ſericum *raſo* dictum; circa marginem circellum elevatum veluti funiculum circumpoſitum habet. Autumno in Sylvis *Majani*.

TAB. XXVIII. X. Bulla centro livido N. Ex mucore ſurgit pedunculus rigidus, ſericoſus, cavus, ſordide albidus, ad pileolum latior, quam ad baſim. Pileolus planus, ſubrufus, laevis, in medio ſaturatiori rufo, livido, maculatus; ſulci ſubrufi, undulati, & profundi. Ad herboſas Flumicini ripas autumno legitur.

TAB. XXVIII. Y. Bulla tubiformis radiata N. Ex albi mucoris filamentis ſurgit pedunculus exilis, tenuis, rigidus tantillum, & cavus. Pileolus tubam refert; ſulci a pedunculo exordiunt rari; ſuperne umbilicatus, & radiatus. Totus fungillus eſt rufus. Circa Covignanum autumno eſt vulgatiſſimus.

TAB. XXVIII. Z. Bulla flavicante pileolo N. Ex mucore albo pedunculus ſurgit longus, exilis, coriaceus, cavus, & albidus. Pileolus campaniformis, cuti coriacea, & lucida obductus; ſulci crebri, & profundi; totuſque pileolus flavus eſt. In Sylvis *S. Hermetis* prope Villam Petri Banditi Patricii Ariminenſis Viri docti, ac ſplendidi, apud quem in Fungorum perquiſitione per triduum eo moratus ſum, autumno anni 1747. cum Planco noſtro, & aliis.

TAB. XXII. F. Bulla rictu nigricante N. Ex mucore ſurgit pedunculus albidus, exilis, coriaceus, & cavus. Pileolus acuminatus, ſublucidus, carneo-flavi coloris; circa marginem zonulam nigricantem habet; ſulci nigricantes, crebri, & profundi. Autumno circa Sabinianum invenitur.

CLASSIS XV. DE TUBERASTRO EJUSQUE FUNGIS.

TUBERASTER, *ſeu Fungarius lapis vulgo* Pietra fungifera, o fungale *improprie Lapis appellatur; eſt enim corpus quoddam admodum durum, ponderoſumque, in glebas efformatum, ex terra, & materia pingui compoſitum, ingens nigrum Tuber, interius exteriuſque aemulans. Intrinſecus innumeris albi mucoris laciniatis, implicatiſque membranis ſcatet. Hic dum in glebas ef-*

formatur folia, feſtucas, ſaxa, & cetera ſimilia ſibi conſociat. Aliae id genus glebae, veluti circa ramum digiti craſſitie circumpoſitae, cernuntur; aliae vero hoc deſtitutae apparent. Nullo Tuberaſter ſcatet odore. In variis Italiae montibus, id genus glebae reperiuntur. In agro Campano prope Ferentinum; in variis Regni Neapolitani montibus etiam proſtant; quin etiam, ut nuperrime audivi, in Piceno, in monte qui della Luna *appellatur, Fungis aptiſſimae id genus glebae proveniunt.*

Ut autem optimi Tuberaſtri eligantur, curandum eſt, ut ſint valde ponderoſi, quorum pondus, ut ſaepe adverti, ſit cum ſaxo tophaceo ejuſdem molis, ac Tuberaſter, in ratione reciproca; qui autem leviores ſunt, aut omnino, aut fere omni prolifica vi ſunt deſtituti. Diuturna enim germinatione Fungorum, leves evadunt, atque fatiſcunt. Selecto itaque Tuberaſtro in vas locetur, & optima, pingui, & humida terra cooperiatur, ad pollicis altitudinem; aut in terram, ſcrobiculo excavato, locetur, & ſimili optima terra cooperiatur; deinde tepente aqua, aut bis aut ſemel in die irrigetur, & juxta vim illius prolificam, triduo, vel quatriduo, ſive citius, ſive ſerius Fungos dabit. Qui autem viginti dierum ſpatio non germinat, ulterius ſperandum non eſt; etenim aut prolifica vi eſt deſtitutus, aut in terra inepta continetur. Siquidem, ut optime novi, non omnis terra optima eſt Tuberaſtro, ut in ea ſuccus ad Fungorum explicationem paretur. In vegeto Tuberaſtro illud expertus ſum, quod Urbis noſtrae Terra, quae in puteis, aut foveis pro domorum fundamentis conſtruendis, excavandis eruitur, quamvis per annos plantas varias enutriverit, ineptiſſima eſt ad Fungos in Tuberaſtro promovendos. Mutata enim terra, biduo poſt Fungorum eruptionem vidi. Peſſima denique terra illa eſt in qua rudera calcis adſunt. Fungo a Tuberaſtro reciſo, in loco humido reponendus eſt Tuberaſter, donec denuo vegetationi reſtituatur.

Inter Fabellas amandandum judico, Tuberaſtrum eſſe tantum Fungorum fotum, quaſi eſſet apte natus, ad multas, diverſaſque Fungorum ſpecies producendas, aut ex diverſis ligneis corpuſculis &c. intus fermentatis, & putreſcentibus derivantes, aut ex Fungorum ſeminum, in circumpoſita terra exiſtentium, varietate proficiſcentes. Tuberaſter enim aut ex Porcinorum genere, aut ex illis, qui pileolum lamellatum habent, Fungos producit. In nullo Fungorum experimento tam diligens fui, totuſque, quam in hoc. Multos Tuberaſtros ſaepe ad manus habui, quos ab Amicis accepi, ſupra quos, aut ſupra terram, qua

qua eos operiebam, variorum Fungorum pulviſculum decidere feci, & non dicam per menſes, quidquam natum unquam obſervavi, ſed ne per annos quidem. Immo ab alio experimento, quod ſuadente Seguierio, tentavi, illud colligere licet, Tuberaſtrum non modo Fungorum generatim fotum non eſſe, ſed potius ad illud conferre, ut aliorum Fungorum vegetationem, ſupra ſe ſatorum, praevertat, & omni terra Fungis alendis apta, eſſe deteriorem. Literas itaque laudatus Seguierius ad me dedit, in quibus illud mihi perſuadebat, ut Tuberaſtrum in pulverem redigerem, & ſuper eum varios ſererem Fungos, eumque aqua, ut ſolet, tepente irrigarem; etenim ſi Tuberaſter ſit *Fungorum fotus*, ut aliqui contendunt, id genus Fungi non modo ibi naſci deberent, ſed quam citiſſime. Itaque VIII. Kal. Octobris hujuſce anni 1754. optimum Tuberaſtrum trivi, & in pulverem redegi, quem tepente aqua humectavi, & ſupra dimidiam partem illius pulveris, variorum Fungorum ſeparatim pulviſculum depoſui, quem tenui ſtrato ejuſdem Tuberaſtri pulveris, cooperui. Deinde IV. Kal. Novembrias varios cum Phalloides inveniſſem, ſupra alteram Tuberaſtri pulveris partem globulos illos *Mazzolianos*, quos pro ſemine habet, eadem ratione, ac ſuperiores, depoſui; quin etiam Folliculos immaturos Phalloidis ſupra hunc Tuberaſtri pulverem locavi. Quid inde Folliculi, quamvis humiditatem non deſiderarent? emarcuerunt; atque ex ſatione per quinque menſes nihil pullulavit. Rogavi inſuper amicos alios, ut idem experimentum tentarent, quibus idem, ac mihi evenerat, accidit, & praeſertim Joanni Franciſco Marattae Abbate Vallumbroſano, atque in clariſſimo Romano Archilyceo Botanices Profeſſore, ut ex literis humaniſſimis ejus IX. Kal. Jan. anni 1754. nobis datis cognovi. Nunc autem ad Fungorum deſcriptionem deſcendam, quos ex Tuberaſtris variis ſuſcepi.

Niſi Mercatus in ſua Metallotheca, Michellius, Baſſius noſter, & praecipue laudatus Maratta certiorem me facerent, Tuberaſtrum praeter Fungos ex Porcinorum genere, etiam alios, qui pileolum ſulcatum geſtant, producere, dubitarem profecto. Nam ex ſexcentis Tuberaſtris, non niſi Porcinos natos vidi, quod etiam Seguierio accidit. Hunc itaque more ſolito deſcribemus.

TAB. XXIV. A. Ceriomyces N. Ideſt Fungus Favo ſimilis. In ipſo Tuberaſtri germinationis exordio, aut unum, aut plura corpuſcula alba, carnoſa, plena, conica, aut cylindrica erumpunt *a c*, quorum apex eſt perlacei coloris, deinde paullatim apex incipit complanari, & marginem extendere, ut ti-

ut rictum ſuillum aemuletur; poſtea margo ita dilatatur, ut pileolum admodum latum Fungo conſtituat. Hujuſmodi autem oblonga corpuſcula, ut in Tuberaſtris omnibus meis cognovi, uno excepto, reliqua ſterilia remanent, atque fatiſcunt. Fungus itaque ad maturitatem perductus, quam non niſi poſt quartum, a germinatione, diem acquirit, conſtat pedunculo carnoſo-coriaceo, pleno, & albido. Pileolus continuus, in medio umbilicatus, ſuperne ſubflavus, cuticulam villoſam habet, circa centrum in villos nigricantes, dein ſature flavos diſpoſitam. Duplici ſtrato conſtat Pileolus, ſuperiori, quod albidum eſt, & carnoſum, inferiori ex tubulorum ſimul congeſtorum ſerie compoſito, quod pariter flavicans eſt. Inter Fungos non eſt, qui tutius hoc comedi poſſit, uno excepto pedunculo, quia cum coriaceus ſit, dentibus conteri nequit. Quare ſolus pileolus eſt *Eſculentus*.

TAB. XXIV. B. Lithodermomyces N. Ideſt Fungus lapideo coriaceus. Peculiaris quidem hic Fungus eſt, quem veluti pro appendice quadam hic adjungo, quoniam ſupra ſaxum adnatus. Supra ſaxum itaque tophaceum in lateritia fornace excoctum, & fere vetrificatum, quod prope limen humilis cujuſdam Sabiniani domus, erat locatum, inventus eſt Fungus. Hic erat abſque pedunculo, tenaciſſime ſaxo conjunctus. Pars inferior tota tomentoſa, ut pannum, erat, & cinerea; ſuperior vero erat ſulcata; ſulci crebri, parum profundi, & amethyſtini coloris conſpiciebantur. Tota ſubſtantia erat quid medium inter lapideam, & coriaceam. Hic in Muſeolo noſtro per decennium incorruptus ſervatur.

CLASSIS XVI. DE CERIOMYCETIBUS, IDEST DE FUNGIS FAVAGINOSIS, QUI ET PORCINI, AUT SUILLI AB ALIIS NUNCUPANTUR.

H*Ujuſmodi Fungi Porcini, aut Suilli a Botanicis appellantur, quia iis avide nutriuntur ſues, & ubi naſcuntur eo ſues ad paſcua conveniunt. Nobis autem Favaginoſos placuit illos appellare, quia inferius Pileoli ſtratum ex innumeris tubulis ſimul junctis, compoſitum habent, quod Apum Favos imitatur, ut in ſectione pileoli Fungi B. Tab. XXIX. obſervari poterit.*

TAB. XXIX. A. B. Ceriomyces craſſus N. Sive *Fungus poroſus craſſus Raii, Syn. II.* 14. 1. Ex laceris mucoris albi membranis, Fungus ut in A conſpicitur, erumpit, totus carnoſus, & plenus; ut autem ad debitam magnitudinem pervenerit, ut in B, pedunculum aut ventricoſum habet, aut cylindricum, ut

ad D

ad D conſpicitur; externe variis ſordidis coloribus, incompte permixtis, nempe rubro, flavo, & caeruleo, pingitur; craſſum habet corticem, & rigidum; interne carnoſus, & ſqualide flavus. Pileolus ad ellipticam formam ſemper accedit, pedunculo concolor, ſuperne tomento brevi obſitus, cujus cutis rigida eſt, & tota rhagadibus aſperſa; corpus carnoſum valde craſſum; hinc ſequitur ſtratum tubuloſum. Illud peculiare in hac Ceriomycis ſpecie eſt, quod, aut per diſruptionem, aut per cultri ſectionem, facta pileoli partis diviſione, ictu oculi, cum carnis pileoli color fit luteus, & tubulorum fit ſaturatioris lutei, ſtatim caro pileoli in foedum, & tetrum *blo* tranſit, tubuli vero *blo* foedo viraſcente permixtum induunt. Quando immaturus eſt Fungus raro phaenomenon praebet. Cito denique caro, & tubuli marceſcunt, & tunc Bovis ſtercus recens delapſum aemulatur. D. Tab. XXX. varietas. Autumno in Sylvis noſtris vulgatiſſimus.

TAB. XXIX. C. Ceriomyces pileolo fornicato N. Stupposus mucor albidus pro radice; pedunculus carnoſus, plenus, intus albidus, externe coriacea, ſtriata, & rigida cuti obductus, & ſordido flavo rufo tinctus. Superne pileolus vireſcit, brevi tomento, ut pannum, obtegitur; caro albida; inferne in fornicis modum ſtratum tubuloſum habet diſpoſitum, & foedo flavo inficitur. Autumno cum ſuperiori proſtat.

TAB. XXX. A. Ceriomyces phragmites rufus N. Radix furculoſa ex albo mucore, & ſatis firmo compoſita. Pedunculus ventricoſus, carnoſus, plenus, intus albidus; cutis craſſa, rigida, variis coſtulis, & rimulis aſperſa, ſordido rubore perfuſa. Pileolus ſuperne pannum caſtanei coloris aemulatur; cutis firma & integra; ſtratum tubuloſum ſqualido virore perfuſum. Ad B pars ſuperior pileoli oſtenditur. In ſepibus autumno circa Sabinianum.

Ceriomyces phragmites viraſcens N. Subſtantia, forma, loco, & tempore cum ſuperiori convenit. Pedunculus ſordide cinereus; pars fiſtuloſa flavicat; ſuperne totus viraſcens.

TAB. XXX. C. Ceriomyces phragmites cinereus N. Radicem firmam, craſſis, albis, & brevibus ſurculis diſtinctam habet. Pedunculum ventricoſum, carnoſum, plenum, intus exteriuſque albidum geſtat. Pileolum ſuperne cinereum, carnoſum fert, qui pannum aemulatur, in parte fiſtuloſa ſubflavicans eſt. In tophaceis Covignani agrorum limitibus, inter ſepes autumno legitur.

TAB. XXX. E. Ceriomyces phragmites pedunculo luteo N. Subſtantia & radice cum ſuperiori congruit. Pedunculus externe luteus;

ne luteus, cutis firma, & rectis coſtulis munita; ſtratum fiſtuloſum flavo-viraſcens; ſuperne tomento brevi obſitus, ſqualido-virente. Autumno in limitibus viarum aridioribus ad ſepes legitur.

TAB. XXX. F. Ceriomyces jujubinus N. Ex mucoris membranis albidis, pedunculus coniformis, craſſus, coſtulis rectis diſtinctus, carnoſus, & plenus; intus albidus, externe ſublaevis, & jujubini coloris. Pileolus ſuperne cutim integram habet, pannum aemulantem, & vivido jujubino colore perfuſam, corpus carnoſum perpetuo ſubluteum; ſtratum fiſtuloſum intenſe luteum. In foveis autumno legitur, pulcher aſpectu. G ejuſdem varietas, quoad magnitudinem.

Ceriomyces ſordide viraſcens N. Dempto cutis Pileoli colore, & pedunculi, qui ſordide viridis eſt, in reliquis cum ſuperiori congruit.

Ceriomyces procerus N. Ex alba mucoris radice, ut in ſuperioribus ſurgit pedunculus fere ſemipedalis, minoris digiti craſſitiem aequans. Subſtantia cum ceteris convenit; fere uſque ad dimidiam altitudinem ſqualido, & ſordido rubore perfunditur pedunculus; dein uſque ad pileolum ſordide luteus eſt. Pileoli cutis madidum corium ſimulat, ſubrufo, & jujubino colore inconcinne tincta; ſtratum fiſtuloſum eleganter luteſcit. Hujuſce Fungi iconem non damus, quia per mentem, producto pedunculo, cum ſuperiori F optime convenit. Circa Verucchium invenitur.

Ceriomyces corticem mali punici aemulans N. Forma, & ſubſtantia, cum ſuperiori F congruit. Pedunculus externe inconſtantem habet colorem, ſqualidum, luteum, & rufeſcentem, plerumque. Pileolus ſuperne ſublaevis, partem cuticulae, ſi recens fuerit, viraſcentem, & rubentem, ſi vero adultus, rubentem, & luteſcentem habet. In agrorum limitibus, & foveis, opaciſque locis, autumno proſtat.

CLASSIS XVII. DE LYCOPERDIS.

L*Ycoperdon graece, idem ac Lupi crepitus latine, italice vero Veſcie: eſt, cum Tournefortio J. R. H.* 563. Plantae genus ad Fungum accedens, durae, primum, & carnoſae, rumpuntur poſtea, & pulverem tenuiſſimum effundunt. *Quatuor dumtaxat ſpecies in Agro noſtro inveni, nempe.*

TAB. XXXI. A. B. Lycoperdon vulgare noſtras N. In locis incultis, & aridis, atque etiam in ſtipulis ſordidus hic Fungus, autumnali tempore, ſurgit. Radicem polypoſam, carnoſam, & albam habet; deinde corpus carnoſum ſupra radicem hanc

continvatum

continvatum cernitur, informe quidem, ſed ad globoſam figuram accedens, initio albidum, dein rufeſcens, & tandem atrorufum evadit. Cortex ſordidus & male aequabilis, qui in ſuperiori parte ita diſrumpitur, ut ab interiori pulpa corroſus videatur. Interne initio totus carnoſus, plenus, & ſordide albus, dein ſpongioſus evadit, & rufus; atrorufo tenuiſſimo pulvere ſcatet; interne cellulas etiam habet, in quibus globuli quidam, cordatae figurae, paullo minores uvae acinis, latitant. In aliquibus caro & pulvis, dum Fungus ſeneſcit, ad amethyſtinum colorem accedunt. Denique dum ſeneſcit non tantum paullatim deſtruitur, ſed etiam in partes finditur. Hic fortaſſe erit *Lycoperdoides album, tinctorium radice ampliſſima Mich. N. P. G. Tab.* 98. *fig.* 1.

TAB. XXXI. C. Lycoperdon globoſum N. Ex radice polypoſa, albida in aridioribus agrorum limitibus, ſurgit pedunculus brevis, craſſus, plenus, & albidus. Capitulum continuum globoſum, carnoſum, & plenum ſequitur. Interne albidum, externe corticem coriaceum, totam rhagadibus cuticulam affectam habet, quae aut rufa eſt, aut amethyſtina. Dum matureſcit, pulpa interior amethyſtina evadit; hinc cortice lacerato ſuperne, eadem pulpa in tenuiſſimum pulverem ſolvitur. In cortice varia foraminula ab inſectis excavata cernuntur, per quae pulvis erumpit. Cortex enim lacerari non ſolet, niſi poſt pluvias; ubi tunc Lycoperdon mutat faciem, ut ad *c*, quam iconem ideo adpoſui, ne quis Fungum ſpecie a ſuperiori diverſum eum judicet.

TAB. XXXI. D. Lycoperdon echini ſpatagi facie N. In ſylvula mea copioſe id genus Fungi autumnali tempore poſt pluvias proveniunt. Abſque pedunculo hic oritur, radiculas quaſdam filamentoſas, breves, & candidas habet. Totus cuti corium repurgatum tenuiſſimum, candidum aemulante obtegitur, quae exiguis, trigonis, candidis, & fugacibus granulis repleta eſt. Interne pulpam carnoſam habet candidam, quae aut in ſqualidum viraſcentem pulverem, aut ſubrufum, aut amethyſtinum, poſt maturitatem, abit, & per foramen, quod circa ſummum aperitur, exit.

TAB. XXXI. E. Lycoperdon pyriforme cinereum N. Sive *Fungus pyriformis Merr. Pin. Lupinus pyriformis cineraceus Bocc. Muſ. P. J. T.* 301. *f.* 7. *Raii Syn.* 27. In Sylva FF. Min. Ref. Obſervantiae Villae Verucchii Octobri copioſe hic Fungus provenit. Radiculas ſurculoſas, albas habet, & breves. Cutis tota coriacea, ita ut attenuatum, repurgatumque corium aemu-

 letur;

letur; cinerea eſt, & granulis minime fugacibus, tetragonis aſperſa. Pulpa interior primum carnoſa, & candida, deinde in ſqualide virentem pulverem reſolvitur, qui per foramen, quod in ſuperiori parte aperitur, exit. Pyrum inverſum, forma ſua, repraeſentat.

Lycoperdon medium cortice lacero Tour. 563. *XXVI. generis perniocioſorum Fungorum ii ſpecies, amplitudine capitis pueri Cluſ. Hiſt.* 288. In agro noſtro numquam hoc obſervavi; in Ravennatenſi tamen Pineto copioſe pullulat, cujus magnitudo interdum, non tantum pueri caput aequat, ſed viri etiam ſuperat; quemadmodum illud eſt, quod Planci noſtri munere, in Muſeolo noſtro ſervatur.

CLASSIS XVIII. DE AGARICIS.

A*Garicus eſt Fungorum genus, nulla conſtanti forma donatum; immo quoad corporis texturam, alii molles ſunt, & ſpongioſi, alii coriacei, alii lignoſo-coriacei, alii lignoſi omnino. Colore etiam differunt. In hoc uno generatim conveniunt, quod duplici ſtrato creſcunt, quorum aliud fibroſum eſt, nempe ſuperius, aliud vero vel ex innumeris tubulis coaleſcit, ut in Ceriomycetibus videre eſt, vel ſinus habet anfractuoſos, vel ex lamellis conficitur, ut in Fungis pileolo lamellato obſervamus. Arboribus, & Fruticibus ſolent adnaſci, tam virentibus, quam aridis, & ad humum dejectis; quamvis nonnulli ab omnibus plantis ſemoti ex terra erumpant. Differentia Agaricorum ſpecifica hactenus ignoratur.*

TAB. XXXII. A. *Agaricum album terreſtre medullam panis referens Mich. N. P. G. pag.* 21. In Agrorum limitibus, locis opacis, humidis, & quercubus obſitis, tuberoſa quaedam corpora, minutiſſimis ſcrobiculis excavata, jacent, quae intrinſecus, & extrinſecus alba ſunt; tota ſubſtantia coriacea eſt, etiam in radice, quae polypoſa eſt, alba, & candido mucore obducta. Ubicumque corpus tuberoſum digito prematur, ibi albedo in carneum mutatur colorem. Hic autem Agaricus aliquando picturam aequat, ea aliquando eſt minor, aſt interdum ita luxuriantem vidi, ut pariſ. ſeſquipedem diametro ſuperaret, altitudine vero, radice neglecta 5. vel 6. poll. aequaret, in querceto circa S. Andr. *in Beſanigo*.

TAB. XXXII. B. *Agaricus Tubae Fallopianae inſtar laciniatus Tou. J. R. H.* 562. *Fungus tubae Fallopianae aemulus Raii. Syn.* 20. Vulgatiſſimus circa rus meum autumnali tempore hic eſt. Radicem ſuperiori perſimilem plerumque habet, carnoſo-coriaceam,

ceam, albidam, minutiſque foraminulis perviam. In varias expanſiones dividitur furſum, quarum ſingulae, & carnoſo-coriaceae ſunt, & ſtratum ſolum reſpiciens, minutis foraminulis pervium eſt; ſuperne a centro expanſionum uſque ad earum dimidium, totus villoſus eſt, dein glaber. Totus albidus eſt, & in tactu iiſdem eſt mutationibus obnoxius, ut ſuperior. Quemadmodum primo a nobis repertus eſt, ſic eum pinximus: ex vitiata enim *Graminis off.* radice totus coaluiſſe videbatur.

Agaricus Tubae Fallopianae aemulus rictu rufo N. Quaelibet expanſio ſuperne circa marginem rictum rufum habet. In reliquis ſuperiori reſpondet.

TAB. XXXIII. A. Agaricus coralloidi ſimilis N. Totus candidus eſt, vivis Moris, & Ulmis non quidem *ad truncos* legitur, ſed ſuperioribus inſidet ramis; propagationes multas ramoſas habet, ut non immerito Coralloidibus perſimilis dicatur; quin etiam inter coralloides ab aliquibus recenſetur. Totus carnoſo-coriaceus eſt, & plenus. Autumno legitur.

TAB. XXXIII. B. Agaricus Tubulariae ſimilis N. Hic quoque candidus eſt, iiſdemque arboribus, ubi ſuperior, reperitur. Ex innumeris tubulis carnoſo-coriaceis conſtat, in varias ſeries diſpoſitis, & a membranis interceptis, ut in *Tubularia purpurea* videre eſt. Autumno legitur, ſed raro.

TAB. XXXIII. C. Agaricus barbatus N. *An coralloides hyſtricis forma Tou. J. R. H.* 565. Totus albus, & innumeris fungoſis corpuſculis oblongis, coniformibus, plenis, carnoſo-coriaceis coaleſcit. Ad eaſdem arbores cum ſuperioribus germinat. Cum Michelio potius inter Agaricos hunc recenſuimus, quam cum Tournefortio inter Coralloides, eo quod carnoſo-coriaceus ſit, & ſupra majores uſque arborum ramos naſcatur, quod in reliquis Coralloidibus non vidi. Eſculentum dicunt.

TAB. XXXIII. D. Agaricus favaginoſus uvidus N. Veris initio, atque per univerſam aeſtatem hic Fungus Moris praeſertim adnaſcitur, ſicuti etiam Malis, Ulmis, Pruniſque non infrequens. Forma admodum ludit; modo hemiſphaericus apparet, ut ad E; modo pedem equinum aemulatur, ut D; modo Pyrum, ut F; modo coacervatus erumpit, ut H; modo ſemipateram ſimulat, ut G &c. Quacumque forma adoleſcat, duobus ſemper ſtratis componitur, quorum ſuperius carnoſo-coriaceum, & fibroſum eſt, inferius tubulatum. Totus Agaricus dum recens eſt, uvidae ſpongiae mollitiem praeſefert, & limpidum quendam humorem guttatim ſtillat. Extrinſecus ſuperne velutata aurea, vel rufo-aurea cute obtegitur molli, quae

interdum hirſuta evadit; inferne in ſtrato tubuloſo luteus eſt; ubi multa rotunda foramina majora ſunt, ab infectis Agaricum deferentibus, excavata. Dum areſcit in ſubſtantiam quandam fuliginoſam mutatur. *Agaricum eſculentum &c. Mich. N. P. G. p.* 120. n. 4.

Agaricus favaginoſus uvidus jujubinus N. Ulmis, & Quercubus hic adhaeret, modo reniformis, modo ad D, aut G ſuperioris notatae Tabulae, accedens. Textura cum ſuperiori congruit, fibras tamen omnino coriaceas habet; totus jujubae coloris eſt, nec, quoad obſervavi, alit inſecta. Autumnali hic tempore erumpit.

TAB. XXXIV. A. Agaricus ſquamoſus glaber N. Ad mortuam Ceraſum prope S. Joannis in Compito extra Sabinianum autumnali tempore hunc inveni. Totus lignoſo-coriaceus erat, ſuperne luteus, & glaber, inferne pallidior, & tubulatus, interne albidus. A tineis immunis per 13. annos in Muſeolo noſtro uſque adhuc extat.

TAB. XXXIV. B. Agaricus ſpecioſus N. In ſinu ingentis quercus, prope Eccleſiam Montis Tauri, autumnali tempore ſpecioſum hunc Agaricum latitantem inveni. Portionem tantum aere exculpſimus, nam pariſien. ſeſquipedem altitudine ſuperabat. Ex variis ſquamis ſimul coacervatis, paullo majoribus icone, coaleſcebat. Pars fiſtuloſa, quae in ſchemate exprimi non potuit, lutea erat; pars vero in ſchemate perſpicua, tota ſplendentis aurei coloris erat, glabra, eleganter in margine laciniata, & monticulis ornata. Interne ſubluteus, totuſque coriaceus eſt; mutato tantum colore per 13. annos apud me incorruptus perſeverat. Hunc ad litora Volgae inter Aſtrakanum, & Czarizam, invenit etiam Buxbaum, a quo *Agaricus imbricatus, laciniatus, major* appellatur Cent. V. pag. 1.

TAB. XXXVII. A. Agaricus aureus flabelli effigie N. *Agaricum flabelliforme &c. Mich. N. P. G.* 118. *n.* 5. Ad Sambuci truncum circa Sabinianum hunc primo inveni. Pedunculus initio erat coriaceus, dein lignoſo-coriaceus poſt aliquot dies factus eſt, ſordide albus, & in partem nigricans. Pileolus ſemipedalis latitudinis erat, qui cum pedunculo flabellum aemulabatur; ex una parte favaginoſus, & dilute flavicans, ex altera aurei coloris, & nigricantibus villis variegatus, ut ad B, totuſque carnoſo coriaceus erat.

Agaricum autem, quem ad B delineavi, a ſuperiori, ſpecie differre non arbitror, quamvis generatim ad Ulmos horizontalis pullulet, & valde coriaceus initio ſit, dein fere ligneus, & ni-

gricans

gricans evadat, ſi ibi ubi naſcatur areſcat: ex alimenti diverſitate, in fibris fortaſſe robuſtior evadet. In reliquis cum ſuperiori congruit. Innumera alit infecta.

TAB. XXXVII C. Agaricus pulvinar referens N. Autumnali tempore ad Podium Bernorum prope Villam Comitis Jo. Franciſci Bonſii Amici noſtri (in re Veterinaria, quam Philoſophiae, Medicinae, & Anatomes ſtudio ſibi comparavit, nemini in Italia ſecundi) hunc Agaricum inveni. Totus albidus, & coriaceus erat, modo ſingularis, modo geminatus in cava Ulmo latitabat. Stratum inferius minutiſſimis erat tubulis refertum, ſuperius erat plenum; externe totus glaber. Inter utrumque ſtratum funiculus hirſutus aderat, inſtar anadematis, quo pulvinar adamuſſim aemulabatur.

TAB. XXXV. A. Agaricus ſquamis iridiformibus N. Hic, ut opinor, ille eſt qui a Tour. J. R. H. 562. *Agaricus varii coloris ſquamoſus* dicitur, & a J. B *Fungi ceraſorum coloris varii pernicioſi III.* 842. appellantur. Non ceraſis tantum, ſed aliis etiam arboribus provenit; immo ad quercuum truncos tantum ipſum obſervavi. Hic ſuas ſquamas in formam roſae diſponit; quamvis interdum ex una tantum ſquama conſtet. Singulae ſquamae coriaceae ſunt, hinc ligneae; inferne favaginoſae ſunt, & albidae; dum ſeneſcunt flavicant; ſuperne ſericea hirſutie obteguntur, variiſque linearibus coloratis zonulis pinguntur, quarum colores ſunt rufus, amethyſtinus, atroviridis, & flavus. Per annos, avulſus, ſervatur, eſtque vulgatiſſimus.

TAB. XXXV. B. Agaricus cinereus margine albo N. Palis in ſtagnis defixis, & vivis etiam quercubus, circa Sabinianum, provenit. Coriaceus ſubſtantia eſt, ſuperne mollis tactu, breviqueque tomento, *ut velutum*, obſitus; color eſt cinereus, & circa ſquamarum marginem alba zona inficitur; inferne ſtratum tuboloſum anguſtiſſimis conſtat tubulis, & album eſt.

TAB. XXXV C. Agaricus aureus rubiginoſus N. Ad mortuos plantarum truncos circa Covignanum hunc inveni. Squamoſus eſt, & aurei coloris ſuperne, hirſutus, & viraſcente quadam rubigine in partem perfuſus; inferne anguſtiſſimis tubulis ſtratum conſtat, colore flavicantibus.

TAB. XXXV. D. Agaricus fulvus ſemipateram referens N. Sive *Agaricum quercubus &c. Mich. N. P. G. pag.* 118. *Ord.* 2. *n.* 4. Circa Sabinianum verno tempore ad quercus radicem hunc inveni. Pedunculus majoris digiti longitudinem, & craſſitiem aequabat, lignoſus, externe lucidus, veluti nigra navali pice oblinitus; hinc pileolus interne candidus, & ſtratum minutiſſimis

tubulis

tubulis compoſitum habebat; ſuperne fuliginoſi coloris, & pulviſculo atrorubro perfuſus erat. Interne fuſcam pulpam gerebat, quae in granuloſum quendam pulverem, peto ſimilem, tranſibat. Altitudo ſemipedalis erat in hoc Fungo; tranſverſa pileoli longitudo pedalis, latitudo vero, quia integer non eſt, ſemipedalis erat.

Hic adverte, quod autumnali tempore, multiplex hic Agaricus ad quercus provenit, & tunc pedunculi, ex quercu horizontaliter pullulant, atque pileoli contiguas feſtucas illaqueant.

TAB. XXXVI. A. Agaricus Dryoſcheus N. Subſtantia cum ſuperiori congruit, colorque exterior. Ad quercuum radices in formam marſupii, ſeu ſcroti, modo ſingularis, ut ad A & B, modo multiplex, ut ad D ead. Tab. pullulat; ex parte ſuperiori atrofulvus, & lucidus, ſuperficiem glabram, & in varios ſulcos, tantillum incurvata, ut in iconibus exhibetur. Inferior pars candida eſt, & minutiſſimis tubulis ſcatet, quae albedo partem ſuperioris ſuperficiei ad marginem inficit. Superne tenuiſſimo ſubfulvo pulvere, maturus, perfunditur.

TAB. XXXVI. C. Agaricus Dactyloides N. Ad quercus hic quoque provenit. Pedunculus lignoſo-carioſus, externe lucido nigro infectus. Propagationes in formam digiti varias ejuſdem coloris emittit. Pileolum ad limbum pedunculus excipit. In reliquis cum ſuperioribus congruit.

TAB. XXXVI. E. Agaricus quercinus aſcalus N. Subſtantia cum reliquis tribus ſuperius deſcriptis convenit; hoc uno excepto, quod reliqui pedunculum habeant, hic omnino eo deſtituitur, quia non ſupra radices, ſed horizontaliter ſupra trunci corticem naſcitur. Hae quatuor ſpecies generatim autumno pullulant.

TAB. XXXVII. D. Agaricus ſtratoſus Gelſorum N. Ad Gelſos ſeu Moros apud nos oritur, ſed non admodum frequens; circa tamen Sabinianum ſemel inveni. Ad Trunci baſim inter ſinus latitat; fuſci coloris eſt, & lignoſae ſubſtantiae, veluti Suber. Ex multiplicibus horizontalibus ſtratis coaleſcit; primum eorum quod pro baſi eſt, ex minutiſſimis tubulis, candidis in ſuperficie conſtat. Juxta Marſilii obſervationes *de Gen. Fung. pag.* 34. ſingulis aeſtivis menſibus novum ſtratum producit, & per annos Arbori adhaeret. Veruntamen incrementum illud per *intus ſuſceptionem*, ut in plantis accidit, conſequitur. Hic apud Mich. ord. 2. n. 4. pag. 118. proſtat.

Agaricus favaginoſus candidus N. Ad trabem lignei pontis ſupra foveam locatam, natum Agaricum hunc inveni, candidum,

coria-

coriaceum, ſuperne villoſum, & hirſutum; inferne favaginoſum, cujus forma cum G Tab. XXXIII. congruit.

TAB. XXXVII. E. *Agaricus pedis equini facie Tou. J. R. H.* 562. Vulgaris apud nos Nucibus, Ulmis, Salicibus, aliiſque arboribus ſuccreſcit; quinqueuncialis generatim latitudinis in baſi; ſeſquipedalem tamen ad Salicem hunc inveni. In parte inferiori ſtratum anguſtiſſimis tubulis compoſitum habet, quod rufi coloris eſt, quodque, tenuiſſimo tomento obducitur. Superne ex variis conſtat ſtratis, quorum exterius cinereum eſt lignoſum, & glabrum; interiora aut lanuginoſa ſunt, aut fibroſa & lignea, veluti ſuber. Hoc ad fomitem pro igne, ex Silice Calybe percuſſo excipiendo, parandum, utuntur.

Agaricus pedis equini facie alter N. Ad quercuum reciſos truncos hic oritur; interne cum ſuperiori congruit; externe baſim habet favaginoſam, & candidam, cujus tubuli anguſtiſſimi ſunt, cujus candor primam marginis plicam, ſeu ſtratum, inſtar zonae inficit; reliquae ſuperiores plicae laeves ſunt, rufae, brevique & molli hirſutie obſitae. Haec ſpecies in Muſeo Jani Planci ſervatur. Forma cum ſuperiori convenit.

TAB. XXXVII. F. Agaricus igniarius phalloideus N. Inter maris noſtri recrementa, ubi Apruſa in ipſum influit, hic jacebat Agaricus; decuplo major icone erat; ſtratum favaginoſum ad inverſum apicem oſtentabat; color exterior interiorque ſtructura cum ſuperiori E apprime congruebat; ejuſdem fortaſſe varietas.

TAB. XXXVII. H. Agaricus igniarius heteroclitus N. Ad Ulmos, Quercus, Prunos, Abietes &c. plantas, hunc & in agro noſtro, atque etiam in Alpibus pullulaſſe vidi heteroclitum appellavi, quia nulla conſtanti forma donatur. Superne varia ſtrata nigricantia ligneo cortice obducta habet; ſtratum inferius cum ſuperioribus congruit; interne carioſus eſt, & rufus.

TAB. XXXVII. G. Agaricus lignoſus informis N. Ulmis hunc adhaerentem vidi, duo ſtrata habentem, anterius quod eſt candidum & exiliſſimis tubulis compoſitum; poſticum vero, quod lignoſo-carioſum & rufum erat.

TAB. XXXV. E. Agaricus igniarius margine aureo N. In formam horizontalis Flabelli ad quercus proveniens, extenditur; exilis eſt & complanatus. Superne corticem more inteſtinorum contortum habet, quique molli & brevi hirſutie, veluti ſericea, atrorufa, obducitur; ad marginem vero haec hirſuties aurei coloris eſt. Inferne ſtratum ex anguſtiſſimis tubulis confictum habet, qui pariter rufa hirſutie obteguntur.

Hucuſque de Favaginoſis Agaricis egimus, ubi illud adver-

tas

tas velim, quod foramina illa, quae in ſtrato tubuloſo gerunt, eſſe in mollioribus Agaricis anguſta, ſicuti illa ſunt, quae in Ceriomycetibus Claſ. XVI. obſervantur; at in durioribus, ligno-ſiſque exiliſſima ſunt, ubi ſi paullo plus anguſta eſſent, nudus ambigeret oculus. Nunc ad alios Agaricos veniemus, quorum inferior pars ſinuoſis foraminibus eſt pervia.

TAB. XXXVIII. A. *Agaricus daedalaeis ſinibus excavatus Tou. J.R.H* 562. Totus lignoſus eſt, ad Suberi ſubſtantiam accedens; Superne hiſpida hirſutie obtegitur interdum, interdum molli, interdum nudus, aſper, & inaequalis; ita ſe habet ejus cortex qui pro ſuperiori ſtrato accipi poteſt. Subſtantiae reliquum in parte inferiori in duras lamellas dividitur, ſinulos illos effor-mans, quos conſpicis, qui Perſicarum nucleorum ſinus aemulantur. Totus ſubflavicans eſt, & ad Gelſos, Populos, Ulmos, & Quer-cus illum inveni.

Agaricus daedalaeis Sinibus excavatus nigricans N. Hic prae-cipue ad quercus provenit; interne atrorufus, externe in cor-tice & Sinibus nigricat. Diù hunc pro ſuperioris varietate ac-cepi; ſed poſtquam ad mortuam quercum, quae cujuſdam Pon-tis ſupra Foveam trabs erat, illum Agaricum quem ad B ead. Tab. exculpſi, inveni, aliud excogitare cepi. Etenim imbrica-tim & hic, & ſuperior adnatus eſt, & ad eandem plantam, quilibet imbrex nigricantis, ubique ſuum ſervabat colorem, quem-admodum, & alius. Quapropter ſi ſuperioris eſſet varietas, aut ex alimento, aut quacunque alia cauſſa proficiſcens, qua-re quilibet imbrex ſuum ſervat colorem, cum omnes corpus continvum, & minime ſine laceratione ſeparabile conſtituant? Hic in muſeolo noſtro ſervatur.

TAB. XXXVIII. E & F. Agaricus daedalaeis Sinibus mi-noribus N. Ad Salices hic oritur, feſtucas circumpoſitas illa-queat. Superne molli, brevi, albida ſericea hirſutie obtegitur, variiſque monticulis extuberat; inferne cretacei coloris eſt, & ſinus habet non majores, quam icon referat ad F, cujus Agari-ci eſt pars ſupina, quemadmodum prona eſt ad E. Hic quoque ſuberi ſubſtantiam aemulatur.

TAB. XXXVIII. G. Agaricus ſquamoſus daedalaeis ſinibus minoribus N. Ad palos in foveis defixos circa Sabinianum hic provenit. Superne hiſpidus, villoſus, & cinerei coloris; in ſin-gulis ſquamis zona fere bilinearis brevi, mollique hirſutie obſi-ta cernitur. Inferne ſaturatioris cinerei eſt, & Sinus minores, quam icon referat habet.

TAB. XXXV. F. Agaricus aureus daedalaeis ſinibus N. Ob-

truncatis

truncatis quercubus ſquamoſus hic Agaricus oritur, magnitudine paullo majore, quam icon referat. Superne aurei coloris eſt, & molli hirſutie obſitus; flavus inferne, ſinus ſunt ei minores, ut ad F Tab. 38. ſup. notatae. Hujuſce Agarici varietates in colore, & hirſutie ſunt non paucae.

TAB. XXXVIII. C, & D. Agaricus lamellatus cinereus N. Forma hic ludit, ludit & ordine, quo plantis adhaeret. Ad Cynorrhodon hunc inveni; ſuperne cinereus, & molli, brevique hirſutie, veluti ſericea, obſitus, ut in parte ejus prona C videre eſt. Inferne vero ut ad D in parte ſupina ſulcos habet raros, profundos, & ſubflavos. Lignoſus eſt totus, ſed diutius incorruptus ſervari nequit. Hujuſmodi Agaricum ſupra corticem quercus circa Flumicinum inveni, ubi pars ſulcata tota ſupra corticem erat extenſa, & valde adhaerens, eratque totus laciniatus, & informis, & ſuperior tantum pars conſpiciebatur.

TAB. XXXVIII. d. Agaricus pectunculi forma elegans N. Sive *Agaricus parvus lamellatus pectunculi forma elegans Raii Syn. Meth.* 25. *An Fungus auritus Juglandium albicans J. B. III.* 839. Ad ſectos Juglandium truncos interdum hunc Agaricum inveni. Superne cinerea, mollique hirſutie obſitus eſt, inferne ſulcos habet ſubamethyſtinos, ſpiſſos, & in ſuperficie planos, ut quilibet ſulcus parallelepipedum aemuletur, & eleganter ſunt diramati; ad pectunculi formam accedit. Et ſic Fungorum noſtrorum hujuſce Agri hiſtoriam claudimus. Sed ad Appendicem deſcendamus.

K APPENDIX.

APPENDIX.

COmpleta jam Agri noſtri Fungorum hiſtoria, quoſdam alios hic adponere in modum Appendicis juvat, qui reſpectu hujuſce Agri exotici ſunt. Ad hoc illud me impulit, nempe, ut pergratum Botanicis facerem; nam partim in Italia rariores ſunt, partim omnino Botanicis ignoti. Primus itaque, qui Tab. XXXIX. exhibetur ſub fig. I eſt = *Lycoperdon veſicarium calyce quadrifido majus Buxb. Cent. V. Tab.* 28. quod circa Byzantium ipſe primus invenit. Hujuſce Fungi iconem vivis pictam coloribus Comes Joſephus Profperi Zinanni Cl. Eques Ravennatenſis mihi largitus eſt anno 1745. quam a Reverendiſs. D. Joanne Franciſco Maratta Abbate Vallumbroſano, ſuperius laudato, acceperat; qui Maratta, quamvis primus non fecerit hunc Fungum publici juris, primus tamen fuit, qui in Italia eum obſervaverit VII. Kal. Novembrias anni 1739. Sic autem ab eodem Maratta hic Fungus appellatur, atque Tourneforţiana methodo deſcribitur:

Geaſteroïdes phragmites, fuſcum, e volva erumpens, tetraradiis elevatum curioſum.

Geaſtroides eſt Plantae genus turbinatum, fig. I. & III. Tab. XXXIX. uno tantum cortice conſtans, membrana tenuiſſima contectum, quae per maturitatem evaneſcit. Plantae vero pars ſuperior a a *fig. III. in duas partes dividitur* c c, *quae complicantur in volva C fig. II. ſubſidetque cum ſua pila, vel capitulo* h r *fig. I. in centro volvae C, quae poſtea per maturitatem ſurgunt, & in altum ſe extollunt, & in quatuor radios* c c c c *fig. I, inſtar Stellae convexae finduntur. Pars vero externa* n n *ſimiliter in quatuor diviſa per maturitatem ſubſidet partibus ſuperioribus, & tamquam fulcra illis inſerviunt. Pila* h r *oſculo fimbriato* r *vel potius coronato in ſuperiori pediculo cylindraceo* t *bilineari, ut plurimum, firmiter inſidet. Figura IV. oſtendit Plantam per medium diviſam. Fig. V. ſubſtantiam Pilae per cellulas molles, & lanuginoſas ſubdiviſam indicat, ſeminibuſque minutiſſimis V, filamentis alligatis, repletam.*

Hunc Fungum circa Genzanum in loco, quem *Piazzon di Galloro* appellant, ipſe doctiſſimus Maratta invenit, cujus duo ſceleta ex eodem principio orta nuper ad me humaniſſime miſit.

TAB. XXXIX. A, & B. *Orcella Senenſibus*. Ut cognoſcerem, quid *Orcellae* nomine intelligi deberet, quoniam iconem apud Rei Fungariae Scriptores videre non dabatur, voti compos Planci diligentia ſum factus. Deſcriptionem enim, atque iconem ejuſdem Fungi popoſcit a Bonaventura Perotto Medi-

cinae

cinae Doctore, & Planci Senis olim auditore. Duas itaque hujuſce Fungi ſpecies ſcribit ſe advertiſſe Perottus, quarum altera ſylvoſis in locis pullulat, altera in Agris. Quae in Sylvis germinat, ad Ilices, & Scopas, ſeu Ericas invenitur, cujus color eſt flavo-cinereus; ſubſtantia vero carnoſo-rigida. Modo ſolitarius, modo caeſpitoſus eſt Fungus. Altera vero ſpecies plumbei coloris eſt, carnoſior, & craſſior. Ita Perottus. Fortaſſe ſecunda haec ſpecies a prima differt, quantum ſoli varietas patitur. Hic a Mich. N. P. G. pag. 192. ſic deſcribitur. *Fungus ex uno pede multiplex, alpinus, eſculentus, pileolo deſuper cinereo-griſeo, inferne lamellis copioſiſſimis eleganter rufis, pediculo dilute concolore.* Orcella Caſt. Dur. 191. *Septembri menſe in Piſtorienſibus montibus* Mammola, *in Valliſ-umbroſae Territorio* Sardinella, *& in Senenſi agro* Orcella *vocatur.*

TAB. XL. A B C D E. *Phalloidaſtrum Bononienſe alpinum Baſſii.* Ferdinandus Baſſius alias a nobis laudatus, primus eſt, ut opinor, hujuſce Fungi inventor, qui XI. Kal. Septembris anni 1753. dum in ſuo itinere Botanico eſſet per Alpes Bononienſis ditionis *Alpi di Graniglione* appellatas, hunc ſylvoſo, humido, arenoſoque in ſolo invenit, atque poſtquam Inſtituti Academiae illum communicaverat, iconem illius, deſcriptionemque ad me humaniſſime miſit. Sic autem Baſſius noſter deſcriptionem exorditur:

Fungus iſte dodrantem altus, unica gaudet radice, & albida, nec non pediculo candidiſſimo, valde ſpongioſo, ſeu cellulato, & fiſtuloſo; cellulaeque cum fiſtula non communicant. Pedunculus pileolum ſuſtinet non umbilicatum, ſatis depreſſum, galeam referentem, interne candidiſſimis lamellis praeditum, in zonam candidiſſimam, ſeu corrugatam fimbriam deſinentibus, quae zona ad limbum oris pileoli horizontaliter appoſita, illum circumambit. Caro pileoli ex albido ſubflaveſcit; externe vero humor quidam gelatinoſus, mellis conſiſtentiam, atque colorem aeque aemulans, totum pileolum obducit. Pariſien. circiter lineam craſſus erat humor ille, tamque graveolebat, ut mihi non levem capitis dolorem excitaverit. Fungus iſte quamvis ad Phallos nonnihil accedat, pediculo celluloſo, pileoli figura, & humore illo gelatinoſo, graveque olente; tamen in hoc ſatis differt a Phallis, quod e volva non erumpat, ut Phalli; atque Phallorum pileoli externe cellulati ſunt, & ut plurimum umbilicati, interne vero non lamellati: cum contra Fungus iſte externe umbilico, & cellulis careat omnino, interne vero lamellis gaudeat. Quapropter novum genus eſſe judico, eumque Phalloidaſtrum Bononienſe alpinum *appellavi.*

A. *Phalloidaſtri Pedunculus cellulatus, ejuſque Radix.*
B. *Pedunculi pars interna fiſtuloſa.*
C. *Pileoli Lamellae.*
D. *Pileoli externus humor gelatinoſus.*
E. *Zona, ſeu corrugata Fimbria ad limbum Pileoli horizontaliter appoſita.*

TAB. XL. F. *Phallus exilis Marattae* Die 5. Octobris anni 1736. hunc Fungum antea, ut opinor, Botanicis ignotum, idem ſuperius laud. Rm̃us Abb. Maratta in Agro Romano, ultra Genzanum invenit, in Sylva ab incolis *li Diſertini* appellata, cujus copiam ſub finem elapſi Maji 1754. mihi humaniſſime fecerat. Inter putrida, grumataque folia, natum cum aliquot aliis contiguis, hunc invenit: *Ex volva erumpebat coriacea, albida, in cujus ſinu humor albidus, mucilagineus, ut in volva Phalloidum videre eſt, continebatur. Hinc pedunculus clavam referens ſurgebat, ſpongioſus, & interne cavus; in parte ſuperiori laevis externe & interne plenus. Circa ſummitatem cruſta quadam calloſa obducebatur, quae dum recens erat Fungus, rubra erat, eo autem ad maturitatem perducto, ſummitatem* m *viraſcentem praeſeferebat; deinde totum* n *inſtar zonae rubentis apparebat. Infra hanc zonam reliquum pedunculi albo-foedo erat tinctum, & variis ſubrufis maculis ſuperficialibus erat aſperſum. Poſt maturitatem vero in foetidum liquorem totus abibat.*

TAB. XL. G. *Mucilago cruſtacea alba Mich.* N. P. G. 216. Tab. 96. fig. 2. Bis tantum mihi datum eſt circa Flumicinum hanc mucilaginem invenire, & quid eſſet, per annos ignoravi, dum ne Michelii quidem celebriores Auditores, quos conſului, eam cognoverint, qui pro Lichene tantummodo eam acceperant. Tandem Michelii Operam volvendo, quae N. P. G. inſcribitur Tab. 96. eam inciſam fuiſſe cognovi; atque deſcriptionem illius adeundo, inter plantas, veluti novum Genus, a Michelio recenſitam vidi. Aſt pace Michelii, perpetuo hanc plantam non eſſe contendam, ſed potius turbinatorum terreſtrium Teſtaceorum quorundam Placentarum aggregatum, & quid Fabagini Ariſtotelis analogum. Haec itaque circa feſtucas, & ſupra folia adhaeret; primo intuitu ſpumam, quam ex ore Equi demittunt, aemulatur; aſt vitro aucta, folliculorum congeries H apparet, qui folliculi candidi ſunt, & *perforati* veluti a Teſtaceo relicti ſubſtantiae cuidam coriaceae amethyſtinae I inſtar *Opunciae fol. oblongo mediae*, efformatae, ad apices *a a a* adhaerent. Poſt aliquot dies hujuſmodi folliculi areſcunt, & in tenuiſſimum, & rigidiuſculum pollinem abeunt; reliquum vero corpus coriaceum I per annos ſervatur.

IN D. JOH. GOTTLIEB GLEDITSCHII LIPSIENSIS METHODUM FUNGORUM EPICRISIS.

OPuſculo hoc noſtro completo, tandem Baſſii noſtri cura, diligentiaque factum eſt, ut optatiſſimum Gleditſchii librum acciperem, qui METHODUS FUNGORUM inſcribitur. Avide ſtatim eum legi, iteramque diligenter perlegi. Quare ut libere de eo, quod ſentio, dicam: gratulor imprimis Doctiſſimo Gleditſchio, quod Opuſculum texuerit ſumma induſtria elaboratum, in quo inconcuſſae de Fungis doctrinae proſtant, diuturnis obſervationibus confirmatae; quibus omnibus, utpote quae cum meis obſervationibus conveniunt, libentiſſime ſubſcribo.

Quoad Methodum vero duo tantum mihi diſplicent. Primum, quod nomine Boleti Fungos Porcinos, & Agaricos complectitur; atque ſub Agarici voce Fungos omnes, qui pileolum ſulcatum habent, circumſcribit. Hac ratione Boletorum, & Agaricorum Ideae, jam apud Botanicos receptae confunduntur omnino, ac ſubvertuntur. Deinde vox Elvela, quam ad genus conſtituendum uſurpat, quid ſibi velit, non explicat, cum neque latina vox ſit, neque graeca, & a nullo Botanicorum uſurpata; ad aliquem ex iis Fungis nominandum, quos ſub tali genere ipſe collocat.

Secundo dum Gleditſchius Genera Fungorum ſecernit, differentias eſſentiales ex ſingulorum diverſa fructificatione deſumit. Quamvis hoc laudabile ſit in reliquis perfectis plantis, quae ſuas fructificationes oculis vel nudis patentes habent; vitium tamen mihi videtur in Fungis ſecernendis, cum Fungorum fructificationes nudum fugiant oculum, & armatum fallant ſaepiſſime. Quapropter ex literis Baſſii V. Id. Jul. 1751. ad me datis accepi, qui perfectiori Microſcopio, nempe Solari, uſus, ut roganti mihi ſatisfaceret, vidit ſemina *Fungi fimi equini capitulo pileum Romanum referente Vail. Bot. Part. 70. n 62. & Fungi pileoli lati, & rotundi T. J. R. H 556.* eſſe non tantum rotunda, ſed a fimbria cingi, prout in Tab. XXIV. ſub litera E exculpſimus. Quare vel haec eſt communis omnibus Gleditſchii Agaricis, & notam Gleditſchius neglexit; vel eſt peculiare illis duabus ſpeciebus, & tunc ab Agaricis excipi debent, vel cum exceptione cum illis annumerari. Ad genera itaque ſecernenda, differentias eſſentiales illas ſeligendas judico, quae oſcitantibus etiam obſervatoribus ſunt conſpicuae. Quemadmodum nemo non videt quantum Coralloides a Boleto, & hic a Porcino, Agarico &c. diſtet. Haec Gleditſchius pacato animo perlegat, & ſi familiariter repoſuerit, docueritque, tunc erimus Amici ad invicem.

JANUS PLANCUS RESTITUTOR PERPETUUS.

QUum Diſſertationes variae de Fungorum materia a Te Jo. Antonio Battarra recitatae ſint in Academia noſtra Lynceorum reſtituta, in qua modo Scribae officio fungeris, eaeque adprobatae fuerint, quumque Liber ipſe Tuus univerſus de Fungis, Tabulaeque aere inciſae eidem adjectae fuerint diligenter a nobis examinatae, & in iis omnibus multa conſpeximus, quae Botanicen, & Naturae Hiſtoriam amplificant, ideo Tibi libenter concedimus, ut Academici Lyncei nomine in hoc Libro edendo utaris. Vale. Datis Arimino e Muſeolo noſtro a. d. VI. Kal. Majas. Anno MDCCLV.

F I N I S.

INDEX

INDEX CAPITUM.

PRAEFATIO *pagina* 3.
CAPUT I. *De variis Fungorum Codicibus in Italia exiſtentibus ineditis p.* 13.
CAPUT. II. *De Fungorum natura quae ex analyſi eorum poteſt deduci p.* 14.
CAPUT III. *De Fungorum utilitate p.* 16.
CAPUT IV. *Qua diligentia uti debeamus in Fungis excoquendis p.* 18.
CAPUT V. *Quae medicina facienda ſit iis, qui a Fungis male vexati extiterint pag.* 20.

INDEX FUNGORUM CLASSIUM.

CLASSIS I. DE CORALLOIDIBUS p. 22.
CLASSIS II. DE CLAVARIIS ibid.
CLASSIS III. DE BOLETIS p. 23.
CLASSIS IV. DE FUNGIS MEMBRANACEIS p. 25.
CLASSIS V. DE FUNGIS PILEOLO SULCATO EX VOLVA ERUMPENTIBUS p. 27.
CLASSIS VI. DE FUNGIS SINGULARIBUS ANNULO INSTRUCTIS p. 29.
CLASSIS VII. DE FUNGIS SOLITARIIS VELUM SULCOS OBTEGENS PRO ANNULO HABENTIBUS p. 32.
CLASSIS VIII. DE POLYMYCETIBUS SEU FUNGIS MULTIPLICIBUS ANNULO DONATIS p. 33.
CLASSIS IX. DE OMPHALOMYCETIBUS, SEU DE FUNGIS UMBILICATIS SINGULARIBUS p. 36.
CLASSIS X. DE POLYMYCETIBUS, SIVE FUNGIS MULTIPLICIBUS PILEOLO UMBILICATO p. 39.
CLASSIS XI. DE MONOMYCETIBUS, SEU FUNGIS SOLITARIIS SIMPLICIBUS p. 40.
CLASSIS XII. DE POLYMYCETIBUS SIMPLICIBUS p. 49.
CLASSIS XIII. DE HYDROPHORIS SEU DE FUNGIS MULTO HUMORE AQUEO SCATENTIBUS p. 51.
CLASSIS XIV. DE BULLIS p. 55.
CLASSIS XV. DE TUBERASTRO EJUSQUE FUNGIS p. 59.
CLASSIS XVI. DE CERIOMYCETIBUS, IDEST DE FUNGIS FAVAGINOSIS, QUI ET PORCINI, AUT SUILLI AB ALIIS NUNCUPANTUR p. 62.
CLASSIS XVII. DE LYCOPERDIS p. 64.
CLASSIS XVIII. DE AGARICIS p. 66

INDEX RERUM PRAECIPUARUM.

A

Alectorolophoides pag. 19. & 39.
Agarici fibras contiguas, non continuas cum arboribus habent. p. 5. Non ſunt indicium vicinae mortis plantarum quibus adhaerent. ibid.
Agarici ignarii uſus. p. 17.
Agaricorum ſpecies variae p. 66. & ſeq.
Amanita 5. 41.
Apicii Coelii Opuſculi de re culinaria, quoad Fungos Cenſura. 18.
Arbores non generant Fungos. 6.
Auricula Simii. 26.
Auriculae Judae vis. 17. Ejuſdem deſcriptio. 25.

B

Banditus Petrus laudatus. 59.
Baſſius Ferdinandus laud. 11.58.61. 75.77.
Boletus, ejuſque ſpecies. 23. & ſeq.
Boletorum analyſis. 15.
Bonſius Comes J. Franciſcus laud. 69.
Brunellius Bernardinus laud. 23.
Bulla, ejuſque ſpecies. 55. & ſeq.
Buxbaum laud. 5. 45. 68. 74.

Calantica

C

Calantica. 30.
Capo gallo, o Criſta Galli. 19. 39.
Caryophyllorum admirandae varietates. 11.
Clavaria. 22.
Ceriomyces. 62. & ſeq. 72.
Columna Fabius. 23.-25.
Coralloides, ejuſque ſpecies. 22. 67.

E

Eluela. 27. 77.
Experimenta Gleditſchii. 10.
Experimenta Mazzolii. 9.
Experimenta Michelii. 8.

F

Fantuccius Comes Conſtantinus laudat. 45.
Farinacci. 28.
Fungi etiam ſuaves quando noceant. 2. Sunt verae Plantae 4. etiam ab omnibus Plantis ſemoti oriuntur. ibid. Radices proprias habent. 5. Mirificam habent ſtructuram organicam, & ſpecierum conſtantiam. 5. Non ſunt Inſectorum Nidi. 6. Non ſunt Plantarum vitia. 7. Ex proprio ſemine oriuntur. 8. & ſeq. Facile variationem ſubeunt. 12. In domeſticis uſibus in Medicina &c. ſunt utiles. 17. & ſeq.
Fungis non utendum ad offas condiendas. 20.
Fungoides ſemine foetum. 26.
Fungorum analyſis. 15.
Fungorum Cod. M.S. 13. & ſeq.
Fungorum Symptomata. 16.

G

Galericulus Monachi 33.
Geaſteroides. 74.
Geoffroy Stephanus Franciſcus laud 15.
Gleditſchius Joh. Gottlieb laud. ejuſque experimenta. 10. & ſeq. In ejuſdem Methodum Fungorum Epicriſis, ad Calcem.
Gomphos. 33.

H

Hybrides nonnullae. 11.
Hydrophorus. 51. & ſeq.
Hyſtero-ſphaerocephalos. 31.

I

S. Joannes in Compito, Primaria Sabinianenſium Eccleſia. 32.
Judicium de Auctoribus, qui uſque nunc de Fungis egerunt. 3.

L

Lapis Fungarius. 59.
Leucomyces. 27. 28. 30.
Leucoſphaerocephalus. 32.
Linchia Michelii. 26.
Lithodermomyces. 62.
Lucenſium Impreſſorum elogium. 9.
Lycoperdon, vis. 17. ſpecies variae. 64. & ſeq.

M

Malpighius Marcellus laudatus. 4.
Mammola. 75.
Maratta Abb. Joann. Franciſcus laud. 61. 74. 76.
Marſilius Comes Ludovicus Ferdinandus laud. 4. 70.
Maſtocephalus. 30.
Maſtoleucomyces. 31.
Mazzolius Franc. Maria, ejuſque experimenta 8. & ſeq.
Michelius Petrus Antonius laud. 8. &c.
Monomyces. 40. ſpecies variae. 41. & ſeq.
Monteſius Petrus. 44.
Montius Joſeph laud. 1. 11.
Mucilago cruſtacea Michelii non eſt Plantae genus. 76.
Myomyces. 48. 49.

O

Omphalomyces ejuſque ſpecies 36. & ſeq.
Orcella. 74.
Orecchiella. 18. 25.
Ovoli roſſi 27.

P

Paſinius Canonicus Franc. Maria laud. 20. 26.
Pedrolara. 1. 51. &c.
Perottus Doct. Bonaventura. 74.
Peziza. 25. & ſeq.
Phalloidaſtrum Baſſii. 75.
Phallus exilis Mar. 76.
Picromyces. 47.
Piſciacani Fungi. 54. & ſeq.
Plancus Janus laud. 1. 11. 14. 66. 71. 74. ejuſdem Epiſtola ad Auctorem. 20. Ejuſdem Fungi numiſmatales. 26.
Polymyces. 33. & ſeq. 39. & ſeq. 49. & ſeq.
Porcini Fungi. 62. & ſeq.
Pſeudofarinaceus. 29.
Pſittacoides. 52.

Ranuncu-

R

Ranunculus Bellidiflorus. 12.
Rhinocerotis noviſſimi tranſitus per Italiam. 58.
Rubicon. ibidem.

S

Sabinianenſes vocant Auctorem ad Philoſophicas Inſtitutiones legendas. 1.
Sardinella. 75.
Seguierius Joh. Franciſcus laud. 10. 61.
Semina, quae per ſeceſſum animalia fere integra referunt, in Fungos non mutantur. 6.
Sphaerocephalus. 32.
Spongiola, o Roccole 24.
Stancarius Jo. Antonius laud. ejuſque pericula de Typhoide melitenſi. 17.

T

Targionus Joannes. 20. & alibi.
Tithymalus fol. punctis croceis notatis C. B. P. 291. Tithymali Cipariſſiae vitium. 11.
Tottius D. Bruno Abb. Vallumbroſanus laud. ejuſdemque elogium in Plancum. 14.
Tuberaſter quid? 59. Non eſt Fungorum fotus. ibid.
Tuberaſtri Fungi optimi. 18. & ſeq.
Typhoidis Melitenſis vis. 17.

V

Valliſnerius Antonius laud. 4.
Vitmanus Fulgentius Mon. Vallumbroſanus laud. 14.
Ulva terreſtris. 26.
Volvae definitio. 23.

INDEX SCHEMATUM QUAE IN TABULIS CONTINENTUR.

Tabula I. ABCD. pagina 22.
Tab. II. ABCDE. p. 23. FGH. p. 24.
Tab. III. A. p. 23. BCDEF. p. 25. GHIKLM. p. 26. NO. p. 27.
Tab. IV. ABCD. p. 27. EF. p. 28.
Tab. V. ABCD. p. 29.
Tab. VI. AB. p. 28. CDE. p. 35.
Tab. VII. A. p. 29. B. 30. C. 29. DE. 32. F. 33. G. 31.
Tab. VIII. ABCDE. p. 31. FGG. 32. H. 47.
Tab. IX. ABC. p. 44. D. 31. E. 38 F. 51. G. 49. H. 48. I. 46.
Tab. X. ABC. p. 30 D. 33. E. 34. F. 31.
Tab. XI. ABCD. p. 34. EF. 35.
Tab. XII. ABCDEF. p. 36.
Tab. XIII. AB. p. 40. CDE. 37. F. 41.
Tab. XIV. ABC. p. 39. D. 40. E. 39.
Tab. XV. AB. p. 41. C. 37. D. 47. E. 37. F. 41.
Tab. XVI. A. p. 38. B. 41. C. 47. DE. 41. FGH. 38.
Tab. XVII. A. p. 38. B. 48. C. 42. D. 48.
Tab. XVIII. ABC. p. 42. D. 51. F. 43. GHI. 38.
Tab. XIX. A. p. 48. B. 51. C. 43. D. 51. E. 43. F. 52. GHI. 43. L. 44. M. 39.
Tab. XX. A. p. 49. B. 44. C. 33. DEF. 52. G. 44. HILM. 45.
Tab. XXI. A. p. 32. BC. 45. DE. 52. FT. 46.
Tab. XXII. ABC. p. 49. D. 50. E. 46. F. 59. GN. 50.
Tab. XXIII. AB. p. 50. C. 40. D. 50. E. 33.
Tab. XXIV. A 61. B. 62. E 77.
Tab. XXV. AB 52. CDEFG. 53.
Tab. XXVI. A 53 BCDEF. 54.
Tab. XXVII. ABCD 55. E 56. FG. 54. H 55. IK. 31. LOQR. 56.
Tab. XXVIII. ABC. p. 56. DEFGHILMN. 57. OPQRST. 58. VXYZ. 59.
Tab. XXIX. AB. 62. CD. 63.
Tab. XXX ABCDE. 63. FG. 64.
Tab. XXXI. AB. 64. CDEc. 65.
Tab. XXXII. AB. p. 66.
Tab. XXXIII. A B C D E F G H. p. 67.
Tab. XXXIV. AB. p. 68.
Tab. XXXV. ABCD. p. 69. E. 71. F. 72.
Tab. XXXVI. ABCDE. p. 70.
Tab. XXXVII. AB. p. 68. C. 69. D. 70. EFGH. 71.
Tab. XXXVIII. AB. p. 72. CDd. 73. EFG. 72.
Tab. XXXIX. ABCV. fig. I. II. III. IV. V. p. 74.
Tab. XL. ABCDEFGHI. 76.

Tab. I.







F
G
H
D
C
c
A
b
a
B
E



Tab. III.
M
L
I
O
N
K
H
E
D
F
G
A
B
C



Tab. IV.






A
B
C
D




Tab. VI.
E
C
D
B
A


A
B
C
E
F
D
G



Tab. VIII.






A
H
I
B
D
G
F
E
C




Tab. X.
A
E
D
B
F
C





Tab. XI.



Tab. XII.







Tab. XIII.
A
B
C
D
E
F


Tab. XIV.
A
B
C
D
E




A
B
C
D
E
F




H
B
A
G
C
E
D
F



Tab. XVII.






Tab. XVIII

Tab. XIX.




Tab.XX.






A
B
C
F
D
G
N
E


Tab. XXI.





Tab. XXIII.
A
B
C
D
E




Tab XXIV




Tab XXV
A
B
C
D
E
F
G



Tab XXVI
A
B
C
D
F
E


A
B
C
Q
R
D
E
F
H
L
G
I
O
K
M
N


Tab XXVIII
A
B
C
D
E
F
G
H
I
L
M
N
O
K
P
Q
R
S
T
V
X
Y
Z


Tab. XXIX
D
C
B
A




G
F
E
D
B
A
C





Tab. XXXI
A
B
C
D
E
c

Tab. XXXII



Tab XXXIIII



Tab XXXIV



Tab XXXV




Tab XXXVI
A
B
C
D
E



Tab: XXXVII







Tab XXXVIII



Tab.XXXIX




D
C
F
B
A
D
E
I
a
a
a
G
H